



Theologiæ Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Providentia Divina, Prædestinatione & Reprobatione.
Item de Fide Divina, ejus veritate, obscuritate & credibilitate

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Concl. IV. Prædestinatio hominis absoluta & efficax ad determinatum gradum gloriæ, non præsupponit in præscientia Dei ipsius merita & finalem perseverantiam in gratiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73708)

Oppugna-
tur.
Defendi-
tur.

Duplici ti-
tulo datur
prima glo-
ria adultis
ex Felice.

An præde-
stinatio ad
gloriam sit
facta ex
prævisis
meritis.

234.

235.
Datur in
Deo decre-
tum inten-
tionis &
executivum.
Alensis.

Smiling.
Felix.
Probatio.

gloria; ergo qui non meretur jus, neque gloria meretur, vel si gloriam meretur, etiam meretur jus ad eam. Respondet Felix sup. diff. 4. n. 4. Neg. Consequentiam: nam potius, inquit, hoc jus debet præsupponi ad merendam gloriam. Pro quo nota ex eod. Auctore loco citato primam gloriam in adultis, qui contritione extra Sacramentum justificatur, dari duplici titulo: ut correspondet primæ gratiæ. Datur ut hæreditas & gratis; at verò ut correspondet contritioni, datur ut merces, & propter meritum, & cum sit respectu diversorum, nullum est inconveniens, quod simul detur gratis, & propter merita. Igitur fieri potest, ut qui non meretur jus seu lemen gloriæ, id est gratiæ, cui correspondet gloria ut hæreditas; mereatur tamen gloriam, ut est merces bonorum operum hominis justificati.

233. Plura possent hic addi de merito gloriæ, sed nolo mittere falcem in messiem alienam, id est, nolo ea enucleatius tractare, quæ alterius loci sunt. Hæc breviter dicta sufficiunt ad nostrum, propositum, quod est, explicare prædestinationis causas, ad quas perinde est, sive bona opera mereantur de condigno primam gloriam, an verò tantum de congruo. Perga itaque ad aliam questionem sanè molestissimam, utrum nimirum prædestinatio ad gloriam sit facta antè vel post prævisa merita. Hæc est nostra resolutio:

CONCLUSIO IV

Prædestinatio hominis absoluta & efficax ad determinatum gradum gloriæ non præsupponit in præscientia Dei ipsius merita, & finalem perseverantiam in gratia.

234. IN præcedentibus satis, ut arbitror, actum fuit de gratuita prædestinatione ad gratiam; hic dicendum est de gratuita prædestinatione ad gloriam contra eos, qui, admittens priori, negant posteriorem causas, Deum nullo modo absolute & efficaciter ullos adultos elegisse ad vitam æternam antè absolutam præscientiam bonorum operum usque in finem. Quæ doctrina, tametsi Catholice defendi possit, & à multis defendatur, equidem nobis non placet propter argumenta inferius producenda. Pro quorum majori efficacia

235. Suppono 1. dari in Deo decretum intentionis, & executivum, id est, voluntatem dandi gloriam, & voluntatem dandi gratiam & merita, quibus ad gloriam perveniat. De hoc duplici decreto vide quæ diximus Sect. 1. Conclus. 4. Traditur expresse ab Alensi 1. p. q. 28. membro 1. a. 2. in fine hisce verbis: Ratio prædestinationis ratione voluntatis duplex est: est enim voluntas proponens, & voluntas exequens: ratione voluntatis proponens dicitur prædestinatio propositum miserendi; ratione voluntatis exequens dicitur prædestinatio preparatio gratia. Hunc Auctorem sequuntur alii Recentiores, quos citat Smil. sup. nu. 579. Adde Felicem de Prædest. cap. 4. diff. 6. n. 22.

ubi probat dictam distinctionem; quia si ea neque Scriptura, nec Aug. nec alii Patres rectè explicari possunt; nam modò affirmant, nos gratis prædestinari ad gloriam, modò ex prævisis meritis, ut infra videbimus; gratis utique in intentione, ex meritis autem in executione.

Si objicias: Augustinus non est ulus hæc distinctione, ergo non datur. Respondet Franciscus n. 23. Primò: est auctoritas negativa, & sufficit, quod eam invenerint Scholastici, ut rectè Scripturam & Patres explicent. Secundo, negando: nam Augustinus lib. 1. ad Simplicium 2. & de Corrupt. & grat. e. 7. agnovit duas voluntates in Deo, unam gratuitam ex motivo solius misericordiæ, & aliam ex iustitia, ex motivo meritorum: quare Tridentinum sess. 6. cap. 6. ait: Vita æterna proponenda est tanquam gratia, filiis Dei misericorditer promissa, & tanquam merces fideliter reddenda. Ita Felix.

Solent præterea alia duo loca S. Aug. citari, in quibus velut in terminis censetur istam distinctionem tradidisse. Unus locus est Ser. 7. de verbis Domini, ibi: Quos voluit Dominus his elegit. Elegit autem, sicut dicit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum iustitiam. Porro electio secundum suam gratiam est electio in intentione; electio verò secundum illorum iustitiam est electio secundum ordinem executionis. Alter locus desumitur ex Tract. 68. in Joan. Non enim ait: qui facturus est, quæ futura sunt; sed qui fecit, quæ futura sunt: ergo fecit ea, & facturus est ea: nam neque facta sunt, si ipse non fecit, neque futura sunt, si ipse non fecerit. Tunc ergo ea prædestinando, facturus est operando.

Sed neuter locus placet Theod. sup. n. 578. Nam priorem putat intelligendum de electione gratuita ad gratiam, & de electione ad gloriam tanquam mercedem meritorum: non autem de duplici modo electionis ad gloriam. Posteriori etiam loco non distinguit æternam voluntatem exequentem ab intentione dandi gloriam, sed temporalem executionem ab æterna voluntate exequente. Vide ipsum latius. Quantum ad loca citata à Felice, patet ex dictis Conclus. 1. neque ea satis clara esse, sed admittente aliam expositionem, quàm ut significant ordinem intentionis & executionis. Concilium quoque Tridentinum solum significat distinctionem inter promissionem gloriæ, & illam redditionem; non autem inter voluntatem efficacem dandi gloriam, & ejus executionem. Nam voluntas efficax dandi gloriam non est promissio, sed ipsa datio gloriæ.

Ut ut sit de his locis D. Aug. eatenus (ut notat Smil. sup. in fine) ex ipso colligitur allata distinctione, quatenus aliquando docet electionem ad gloriam secundum se esse gratuitam; aliquando verò ait, eam esse ex præscientia meritorum, quæ duo non consistunt, nisi primum intelligatur de electione secundum ordinem intentionis, & secundum de electione secundum ordinem executionis. Sic ille. Sed enim, opponunt Adversarii: licet doctrina ordinis intentionis & executionis sit certa in Philosophia, tamen

tamen uterque ordo non est in mente artificis; sed tantum ordo intentionis, ordo verò executionis est in re ipsa.

Respondet Felix sup. Primò: ipsos Adversarios admittere utrumque ordinem in mente artificis, cum fateantur præcedere in Deo ante electionem mediorum intentionem gloriæ saltem inefficacem. Secundò negat Assumptum: nam (inquit) quidquid artifex exequitur, habet in mente & in voluntate; & sicut in eis formatur intentio, ita etiam executio disponit, quid operandum sit, & quomodo, ut finem intentum consequatur. Ita præfatus Auctor. Igitur quidquid artifex exequitur, prout exequitur, habet in mente & voluntate: non enim solum disponit, quid operandum sit, v.g. domum esse construendam; sed etiam quomodo, & quibus mediis illa constructio sit executioni mandanda.

Instat aliquis: posita voluntate executiva, necessariò ponitur effectus, & posita totà voluntate intentiva, nunquam ponetur effectus; ergo hæc frustranea est & superflua, cum nullum effectum habere possit; nam gloria, quæ debet esse effectus ejus, ponitur à voluntate executiva. Respondet negando Consequentiam: quia intentio seu voluntas intentiva est ante prævisa merita. Sicut si quis potentissimus Monarcha hominem abjectum, charum tamen atque dilectum, ad regnum decrevisset evehere, ideòque, quòd magis ad eam sublimitatem foret idoneus, bonis artibus, omnique diligentia institutionis redde-re expositum atque ornatum.

Respondetur 2. dictas voluntates habere diversos effectus. Nam (inquit Felix sup. n. 24.) voluntas efficax intentiva infert infallibiliter electionem, & executionem & gloria inchoatè est futura ab ea, quæ adequatè futura est à voluntate executiva. Neque necessariù est, ut voluntas Dei sit efficax, ut in objecto ponatur aliquid physicum, sufficit ut ponatur aliquid morale; hæc autem ponitur esse volitum gloriæ: nam gloria est bonum amabile propter se, & ratio amandi media propter ipsam, & sub hac ratione terminatur actum intentionis. Est etiam bonum causatum per media, & sub hac ratione terminatur actum executionis.

Urgent Adversarii: istæ duæ voluntates pugnant inter se; Ergo non sunt ponendæ. Antecedens patet, nam intentio est actus liberalitatis, executio est actus justitiæ, qui oppositi sunt. Fateor, oppositi sunt respectu ejusdem objecti: at in casu nostro non habent idem objectum; nam intentio solum habet pro objecto substantiam rei, executio autem substantiam & modum seu media. Porro eidem voluntati possunt inesse actus justitiæ & liberalitatis, dummodò versentur circa diversa objecta. Sic enim simul potest quis velle alteri solvere debitum strictum, & ultra illud dare elemosynam.

Aliter respondet Felix sup. negando Antecedens. Ad probationem dicit; quòd intentio, etiam si sit liberalis ex parte actus, non tamen ex parte objecti: nam ad gloriam ut coronam, & ut præmium prædestinat Deus, quod exemplo

Tomus II.

declatur: ego volo emere librum, & reddere æquivalens pro pretio, qui actus intentionis est justitia, & simul est liberalis & gratiofus; nam cum possem emere à Petro, vel à Francisco, volo à Francisco emere, cui gratulor: ita Deus, cum prædestinat, liberaliter prædestinat, cum hunc eligat, & alium relinquat; & simul servat justitiam; nam intendit dare gloriam ut coronam, & ut præmium. Hæc ille.

Instat quispiam: implicat velle dare gloriam ut coronam ante prævisa merita; nam præmium dicit relationem ad meritum. Respondet Felix sup. n. 25. negando Antecedens. Pro quo notat, quòd intentio efficax distinguitur ab inefficaci: nam hæc solum respicit bonum absolute complacendo in ipso, & non ut consequendum; efficax verò respicit finem ut consequendum, & ita dicit ordinem ad electionem & ad media. Et hinc est, quòd, quamvis intentio efficax gloriæ facta fuerit sine meritis, non tamen impleri possit sine illis, quia ita Deus disposuit: nam licet non fuisset facta propter merita, est tamen cum habitudine ad illa.

Quod dupliciter intelligi potest: primò, ut in primo signo intelligamus illam intentionem tantum, & nondum determinata media, sed determinanda. Secundò, ut simul in eodem signo sit voluntas finis, & voluntas mediorum determinatè. Primum magis accommodatum est nostro conceptui; secundum verò fuit in rei veritate; quia, cum Deus non indigeat discursu ad inventionem mediorum, sed omnia possibilia sunt illi præsentia, in eodem signo, quo intelligitur intentio finis, etiam intelligitur determinasse media, ita ut solum sit ordo ex parte objectorum, quo finis est prius volitus, quam media. Itaque quocumque modo fiat, ita est volitus finis, ut dicat ordinem ad media sive determinata, sive determinanda. Ita Felix.

Urgent rursus Adversarii: actus specificantur per objecta; sed gloria danda ex meritis est objectum justitiæ, fidelitatis, vel gratitudinis secundum varias sententias: ergo intentio gloriæ dandæ ex meritis non est liberalis, sed ex justitia &c. Respondet Felix sup. distinguendo consequens: ex parte objecti concedo, actum illum non esse liberalem; nego verò ex parte subiecti; nam Deus ex nullo titulo tenetur habere talem actum. Ex quo constat, quòd talis actus Dei non est omnino liberalis; nam ex parte objecti est justitiæ vel fidelitatis &c. At verò actus, quo Deus vult nobis dare primam gratiam est omnino liberalis tam ex parte actus, quam ex parte objecti. Sic ille. Quippe prima gratia sine ullis meritis datur, ut patet ex ante dictis.

Sed nunquid huic doctrinæ contrariatur Secundus? Videretur Aliquibus quòd sic propter ea quæ habet in Reportatis 1. Dist. 41. n. 9. ibi: Nulla igitur est res ex parte prædestinati, quare prædestinat Petrum. Item Aug. de Prædest. SS. c. 18. Non quia tales eramus, nos elegit; sed quia nos elegit, tales eramus. Igitur nullum bonum est prævisum in prædestinato, propter quòd Deus prædestinat Petrum.

Z 2

245.

Instantia.

Solvitur ex eod.

In quo distinguitur intentio efficax ab inefficaci.

246.

In eodem signo Deus intendit finem, & determinat media.

247.

Alia objectio Adversarii.

Solvitur per Felicem.

248.

An doctrina nostra contrarietur Scoti.

Aligubus
videtur,
quod sic.

Petrum. Dices: nunquid prædestinat propter merita, sicut reprobat propter demerita? Dicitur, quod hæc est simpliciter falsa: Deus prædestinat propter merita. Contra: Deus vult Petrum præmiari propter merita; sed hoc est Petrum prædestinare. Dico, quod hæc est amphibologia ex hoc, quod ly Propter merita potest construi cum ly Vult, & sic est sensus, Deus propter merita vult Petrum præmiari, & hæc est falsa: vel potest construi cum ly Præmiari, sic: Deus vult Petrum præmiari propter merita, & hæc est vera, & Deus reprobat tudam propter demerita. Hæc ille loco citato iuxta impressionem Coloniensem. At verò in impressione Lugdunensi ad objectionem politam respondet n. 7. sub hac forma verborum: Deus vult Petrum salvari propter merita, tanquam propter volitum præcedens in fieri, & in dispositione ad salutem; sed non vult ipsum salvari propter merita, ut propter rationem volendi; sed potius è converso; quia prius vult finem alicui, quam aliquid ordinatum ad finem. Unde in primo instanti post volitionem sue bonitatis vult Deus beatitudinem sive prædestinationem Petri, sine alia ratione volendi.

249.
Sed perpe-
ram.

Quid tibi videtur benigne Lector, num Scotus hic opponitur nostræ sententiæ? Quinimo (ut notat Felix sup. n. 26.) his verbis eam docet. Nam ex eo, quod ly Propter merita conjungitur cum ly Vult, quod significat intentionem, est falsum, quod intentio sit propter merita; cum verò ly Præmiari significet executionem, dum conjungitur cum ly Propter merita, quod etiam significat fieri, est propositio vera: quia verum est, quod in executione Deus propter merita præmiatur. Ita Francis. Perfito itaque in Supposito, & dico rursum, in Deo seu in voluntate divina aliud esse decretum intentivum, vel, ut Alii, ordinem intentionis, alium ordinem executionis, seu decretum executionis.

Conclusio.

250.
Secundum
suppositum.

Prædestina-
tio ordina-
ta accipitur
pro complo-
ta.

Suppono secundò: ist hæc verba (simpliciter & absolute posita) *Electi, Prædestinati, A Deo vocati secundum propositum &c.* Item, *Electio, Prædestinatio, Propositum &c.* accipi in Scriptura sacra, & apud D. Aug. non pro incompleta electione seu prædestinatione ad solam gratiam, sed pro completa ad gratiam & gloriam. Est quippe unus actus Dei (vel si plures, necessariò conjuncti) quo cuipiam tota salus per gratiam Dei acquirenda & largienda decernitur; usque adeò, ut si tantum gratiam elargiri constituerit, potius reprobarus appellandus sit, quam electus. Quamquam enim effectus prædestinationis possit esse incompletus; siquidem prius datur gratia, quam gloria; attamen non ipsa prædestinatio: esse namque incompletum respectu salutis alienat vocabulum prædestinationis, ita ut non denominet aliquem absolute electum, sed solum cum particula restringente ad fidem, ad justitiam, &c.

251.
Probatio ex
Scripturis.

Sed audiamus Scripturam, de electis loquentem, Matth. 24. v. 22. Et nisi breviami fuerint dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviantur dies illi. Et v. 24. Et dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem indu-

cantur (si fieri potest) etiam electi. Item Mat. 13. v. 20. Sed propter electos, quos elegit, breviami dies. Quis non intelligit, Scripturam hic per electos accipere electos ad gloriam? Soli enim illi salvi fient, & in errorem non inducentur. Rursus Matth. 20. v. 16. Multi sunt vocati, pauci vero electi. Quod omnes intelligunt de electis ad gloriam, ut manifestè apparet ex parabola de operariis in vineam conductis, cui illa verba subnectuntur. Accedat, quod ait Apostolus Rom. 8. v. 28. Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præcivit & prædestinavit &c. Ubi S. Aug. lib. de Corrept. & Grat. c. 7. ait, eosdem illos, quos prædestinavit Deus, & non alios etiam vocasse, iustificasse, & glorificasse. Illi, inquit, electi, ut sapè dictum est, qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati atque præciti. Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, qui non fallitur Deus.

Neque rectè dixeris: hæc doctrina ad nihil utilis est, nisi ad licentiam vitæ & desperationis. Enimverò prudenter adhibita summa fiducia infirmis ingerit, se, non obstantibus tot periculis, tentationibus, infirmitatibus, per gratiam Dei salutem consequuturos. Unde ita- tim adjicit Apost. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et v. 33. Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat &c. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Ad quæ verba S. Aug. sup. Merito sequitur vox ad regnum electorum: Si Deus pro nobis, quis contra nos? &c. Quam finis autem perseverantia usque in finem munus acceperint, sequantur & dicant: Quis nos separabit à Charitate Christi &c.

Nec obstat; quod Apostolus ibi loquatur ad omnes Romanos, sicut & in aliis locis ad integras Ecclesias, in quibus absque dubio aliqui qui erant non electi ad gloriam. Nam (ut Alii bene advertunt) est modus congruentissimus & usitatissimus loquendi Communitatibus, ut in commendando sic eas alloquatur, quasi omnes essent boni, & in reprehendendo vice versâ quasi omnes essent mali; cum tamen laus illa & vituperium non nisi in quodam proprie cadat. Ita tradit D. Aug. Epist. 59. Scriptura, inquit, mos est ita loqui de parte, tamquam de toto; sicut Corinthios in primis Epistola sua per totas partes ita laudat, tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum; & postea in nonnullis Epistole ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent propter quosdam, qui tales erant. Istam divinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus litterarum ejus creberrimè sparsimus, quisquis diligenter adverterit, multa dissolvit, quæ inter se videntur esse contraria. Hæc ille.

Atque secundum hanc regulam q. 17. super Gen. explicat, quod Christus dixit Apostolis: Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus discipulus est? Joan. 6. v. 71. Illud, inquit, attendamus, ubi ait: Non de omnibus vobis dico, ego scio, quos elegi: ubi declarat, ad electionem pertinere.

per tineri nisi bonos; ac per hoc illud, quod dictum est: Ego vos duodecim elegi, per synecdochen dictum est, ut nomine majoris meliorisve partis etiam illud complecteretur, quod ad ipsum nomen non pertinet. Quando itaque Christianis loquimur, congruit ut omnes conveniamus, quasi fideles & sancti, & in regnum Dei prædestinati haberentur; cum enim reprobatio sit occultißima, & ingratißima, non debet recipiam quasi in faciem ingeri. Et lib. de Dono Persever. c. 22. si (inquit) de iis, qui non perseverant, aliquid placet dicere, vel necesse est, cur non petitis ita saltem dici, ut paulo ante à me dictum est: primum, ut non de ipsis, qui in populo audiunt, hoc dicatur, sed de aliis ad ipsos &c. Vide cap. citatum, quia plura similia continet.

Et hinc est, quod Apostolus, cum omnes reprehendisse videretur, ad Hebræos 6. v. 9. dicit: Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora & vicina salutem, tamen si ita loquimur. Et Philippi. v. 6. alloquens universos: Confidamus (inquit) de vobis, quia, qui cepit in vobis opus bonum, persequet usque in diem Iesu Christi. Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis. Confidimus modo scriptis loquitur D. Augustinus. Unum afferro locum ex lib. de Corrept. & grat. cap. 9. Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non verè discipuli Christi, ita nec verè filii Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur. Appellamus ergo & electos Christi discipulos, & Dei filios, qui sic appellandi sunt, quos regeneratos pie vivere cernimus; sed tunc verè sunt, quod appellantur, si manserint in eo, propter quod sic appellantur. Ex quibus omnibus satis patet, Scripturam & Augustinum per prædestinationem, simpliciter & absolute positam intelligere non incompletam, sed completam, nempe ad gratiam & gloriam, nisi aliunde oppositum colligatur. His ita suppositis,

Probatur Conclusio nostra ex Scripturis, Mat. 13. v. 20. Propter electos, quos elegit, brevioris dies. Luc. 12. v. 32. Nolite timere passillus grec, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Joan. 10. v. 41. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient &c. Et inf. v. 28. Et ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Item Rom. 8. v. 28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et cap. 9. v. 11. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et cap. 11. v. 2. Non repulit Deus plebem suam, quam præfinit. Denique ad Ephes. 1. v. 4. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut esset sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum secundum propositum voluntatis sue.

Et similia plura testimonia possent adferri, quæ omnia significant manifestè ex peculiari Dei diligentis, & sibi complacentis, & eligen-

tis ac prædestinantis affectu & proposito, tantumquam radice proficisci, ut quidam præ cæteris ad propositum credant, ut adduceantur ad ovile Christi, ut vocem ejus audiant, ut breventur tentationum dies, ne fortè pereant, ut non repellant eos, ut non rapiat eos quisquam de manu sua, ut permaneant nobiscum, denique ut vocentur, iustificentur, glorificentur, & eis omnia cooperentur in bonum. Ista ergo electio non præscientiam fidei & perseverantiæ, non victoriam tentationum præsupponit, sed è contrario electorum fides & fortitudo contra tentationes, ac perseverantia, & omnium rerum cooperatio, & vocatio, iustificatio atque glorificatio in electionem eorum & propositum ac complacentiam Dei, tanquam originem & fundamentum ultimum sunt referenda.

Porro hanc esse mentem D. Aug. Probatur 1. ex iis locis, in quibus docet, quod quando Deus vult aliquem ad salutem adducere, tantum hoc efficaciam exequatur, ut nihil ipsum unquam impediat à fine consequendo; ergo præcedit in Deo efficax intentio illius finis. Hæc sunt verba D. Aug. lib. de Corrept. & Grat. c. 14. Cum homines per correptionem in viam iustitiae seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui, quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris atque arbutulis operante, dat incrementum Deus, cui volenti saluum facere nullum hominis resistit arbitrium? Sic enim velle vel nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Ergo voluntas salvandi est causa, cur omnia impedimenta salutis dissipentur. Unde post pauca subiungit: Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in celo & in terra omnia quacumque voluit fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quod minus faciat ipse, quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit.

Quod autem loquatur de salute æterna, patet; quia confirmat suum dictum per exemplum Saulis, & Davidis, qui à Deo constituti sunt Reges temporales; & concludit dicens: Si ergo, cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, quæ alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut celesti constituatur in regno? Consimilia habet alibi, quæ brevitate gratiæ prætereo.

Probatur secundò, ex singulari voluntate salutis parvulorum, de qua sic ait S. Doctor E. Probatur 2. pist. 105. Quam, quasi, allaturi sunt causam (Pelagianam) quod alius (parvulus) sic gubernatur, ut baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priusquam ab eis baptizandus offeratur, expiret? Ac post pauca: Et cur providentia Dei, cui nostri capilli numerati sunt, sine ejus voluntate non cadit passer in terram, quæ providet sine nato premitur, nec fortuitis casibus impeditur, litem parvulorum, nec ullâ iniquitate corrumpitur, ut renascantur ad hereditatem cælestem, non consulit omnibus parvulis filiorum suorum, & nonnullis consulit etiam parvulis impiorum?

258.

Hanc esse mentem D. Aug. probatur.

Deum nihil unquam impedit à fine consequendo.

259.

Loquitur S. Aug. de salute æterna.

260.

Probatur 2. mens D. Aug.

Deus sin-

gulariter

providet

parvulorum.

impiorum? Aliam autem rationem non affert Aug. nisi: O altitudo divitiarum &c. live praedestinationem. Hinc lib. 4. contra Julianum cap. 8. ait: Novit Dominus, qui sunt ejus, & in eorum salute, atque in suum regnum introductione, certa est voluntas ejus. Item lib. 5. contra Jul. c. 4. inquit: Ex his (praedestinatis) nemo perit, quicumque aetate moriatur. Absit enim, ut praeordinatus ad vitam sine Sacramento Mediatoris finire permittatur hanc vitam. Igitur praeordinatio, secundum Aug., est causa, cur huic applicetur Sacramentum regenerationis, & non alteri. Quae autem ratio parvulorum, eadem est adultorum, sicut quoad gratiam, ita etiam quoad gloriam, nisi quod adulti in executione hanc mereantur bonis suis operibus. Unde

261. Probatur 3. ex illa voluntate, quae est velut radix gubernationis mirabilis circa adultos, quam Augustinus ubique praedicat esse praedestinationem. In hanc utique refert, quod uni donetur fides, alteri non: nam Epist. 107. explicans illa verba Apostoli 2. Thess. 3. v. 2. Non enim omnium est fides, inquit: Tanquam diceret: Non enim apud omnes, etiam nobis orantibus, glorificabitur verbum Dei; quia ipsi utique fuerant credituri, qui ordinati erant in vitam aeternam, praeordinati in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, & electi in ipso ante mundi constitutionem. Ipsi quoque adscribit, quod aliquibus Passio- nis Christi medicina applicetur per justificationem, ac alia media salutis, & non omnibus, lib. 2 de Peccat. meritis c. 29. parum à principio: Idem ipse Dominus noster hanc suam medelam nullis generis humani temporibus ante ultimum futurum adhuc iudicium denegavit eis, quos per certissimam praesentiam, & iustissimam beneficentiam secum regnuros in vitam praeordinavit aeternam. Plura in particulari vide apud Alios.

262. Generaliter, quod illa praeordinatio sit radix unica, unde tanta diversitas gubernationis hominum proficiscitur, docet S. Aug. lib. de Corrept. & grat. cap. 7. circa medium, dicens: Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divina gratia largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt, credunt, & in fide, quae per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt: & nonnulli, accepta gratia, in qualibet aetate periculis huius vitae mortis celeritate subtrahuntur. Haec autem omnia operatur in eis, qui vasa misericordiae operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratia. Si autem gratia jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia; non enim sic sunt vocati, ut non essent electi, propter quod dictum est: Multi sunt vocati, pauci vero electi. Sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto electi sunt per electionem, ut dictum est, gratia, id est gratuita. Et post pauca: Ex istis nullus perit; quia omnes electi sunt; electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt; propositum autem non suum sed Dei. De quo alibi dicit (Apo-

solus) *ut secundum electionem propositum Dei naret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est &c.* Quidni ergo, ex mente D. Aug., omnia media salutis, atque adeo etiam bona merita profluant ex praedestinatione, & non e contra?

Haec mens D. Aug. probatur 4. ex voluntate illa, quae est veluti radix &c. cardo gubernationis reproborum, ex voluntate, inquam, reprobationis, de qua sic lego apud ipsum lib. de Corrept. & grat. c. 7. circa finem: Qui vero perseverant non sunt, ac sic à fide Christiana & conversatione lapsi sunt, ut tales eos vna huius mundi pieque vivunt, in isto numero (scilicet electorum ad regnum) computandi sunt. Ut quid ita Sancte Pater? Non enim, inquit, sunt à massa illa perditionis praesentia Dei & praedestinatione disjuncti, ideo nec secundum propositum vocati. Hinc lib. de dono persever. c. 11. in principio: *Prout sicut apost. ait (Rom. 9. v. 16.) Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; qui & parvulis, quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus subvenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo, daturus etiam eis gratiam (iustificancem) gratis, nullis eorum vel fidei vel operum meritis praecedentibus; & majoribus, etiam hi qui praevidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subvenire, non subvenit, de quibus in sua praedestinatione occulte quidem, sed iuste aliud iudicavit.* Ubi utrobique subventionem & non subventionem refertur in merita & demerita, sed in praedestinationem, & non praedestinationem ad regnum.

Sic quippe dicta sua intelligit Aug. ut patet ex lib. de Corrept. & grat. dicto cap. 7. ibi de eo audito in melius commutari perseverantiam non acceperunt, & qui Evangelio audito venire ad Christum, hoc est, in eum credere noluerunt... Et qui per aetatem parvulum nec credere potuerunt, sed à originali noxa solo possent lavacro regenerationis dissolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa confessione discreti, quam contra est damnatam, eantibus omnibus ex uno in condemnationem. Consimiliter alibi loquitur.

Ultima probatio sumitur ex vocatione secundum propositum, quam Aug. passim docet, solum electis competere, ita ut propositum idem sit, quod praeordinatio. Sufficiat quod sup. retulimus ex c. 7. de Corrept. & grat. Quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto electi sunt per electionem, ut dictum est, gratia, id est gratuitam. Ac aliquibus interjectis concludit dicens: Cum ergo audimus: Quos autem praeordinavit, illos & vocavit; secundum propositum vocatus debemus agnoscere; quoniam inde capit, dicens: Omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt &c. Igitur secundum Aug. vocatio & merita, quae vocationem praesupponunt, non praecedunt praedestinationem, sed eam sublequantur, tanquam media, quibus infallibiliter propositum Dei de danda gloria adimpleatur. Vide Smil. sup. à n. 49 r. usque ad n. 560 ubi longè & latè probat nostram Concluf. tum ex Scriptura,

Scripturis, tum ex D. Aug. & aliis SS. Patribus, & responsa Adversariorum explodit.

Et quævis Doct. Subtilis nihil absolutè ré-
solvat circa hanc controversiam; tamen videtur
magis inclinare in nostram & communiorē,
veriorēque doctrinam, 1. dist. 41. q. un. n.
11. ubi post relatas Aliorum sententias, & resu-
tas, scribit in hæc verba: *Potest aliter dici, quod
prædestinationis nulla est ratio, etiam ex parte præ-
destinati, aliquo modo prior istâ prædestinatione.*
Quod autem loquatur de prædestinatione
completa scilicet tam ad gratiam, quam ad glo-
riam, patet ex ejus probatione, quæ talis est: Vo-
lens ordinare finem, & ea, quæ sunt ad finem, prius
vult finem, quam aliquid entium ad finem; quia prop-
ter finem alia vult: ergo cum in toto processu, quo cre-
atura beatificabilis perducitur ad perfectum finem,
fuit altimus sit beatitudo perfecta, Deus volens huic
aliquid istius ordinis, primò vult huic creatura bea-
tificabili finem, & quasi posterius vult sibi alia, quæ
sunt in ordine illorum; quæ pertinent ad illum finem;
sed gratia, fides merita, & bonus usus liberi arbitrii,
omnia ad istum finem sunt ordinata, licet quadam re-
motius & quadam propinquius: ergo primò isti vult
Deum beatitudinem, quam aliquod istorum, & prius
vult ei quodcumque istorum, quam prævideat ipsum
habiturum quodcumque istorum: igitur propter nul-
lum istorum prævisum vult ei beatitudinem.

Sed quid hæc Adversarii? Major (inqui-
unt) rationis Scoti solum est vera de mediis
physicis, & non de moralibus, qualia sunt me-
rita respectu vitæ æternæ. Et ratio disparitatis
est, quod medium morale non realiter, sed im-
petratoriè concurrat ad consecutionem finis;
non potest autem impetratoriè concurrere, nisi
supponatur esse in scientia, à quo finis est impe-
trandus; cum impetratoriè concurrere non sit
aliud, quam objectivè movere voluntatem alte-
rius ad dandum id, quod impetratur, & non
possit voluntatem movere, nisi scitum sit; quia
nihil volitum, quin cognitum. At verò medium
physicum non impetratoriè, sed realiter con-
currit ad consecutionem finis: potest ergo finis
efficaciter esse volitus ante existentiam, vel præ-
scientiam talis medi, quia non est causa movens
ad volendum finem, sed solum est realis causa
finis, sufficiensque adeo, quod realiter præexistat
(tempore vel naturâ) consecutioni finis, quam
existentiam accipere potest per electionem effi-
caciorem, posteriorem intentioni finis. Sic illi.

Sed perperam; nam bene respondet Smil. sup.
n. 562. nullum esse illud discrimen inter medi-
um morale & physicum, quantum ad præsens
attinet: utriusque enim electio est posterior. se-
cundum ordinem intentionis, efficaci voluntate
finis; cum hæc voluntas sit causa illius electio-
nis, loquendo de ordine intentionis, & de pri-
ma voluntate efficaci circa finem & media; ta-
men, secundum ordinem executionis, efficax
voluntas mediæ sit causa volendi finem; &
hæc causalitas, quoad medium morale, impe-
tratoria dici possit (latè nunc impetrationem
capiendo, ut contra realem causalitatem distin-
guatur; non verò contra causalitatem meriti

condigni) & consequenter supponat talis medi
existentiam in scientia ejus, à quo finis est im-
petrandus.

Et intra hunc ordinem executionis tota cau-
salitas medi, etiam moralis limitatur; in ordine
verò intentionis medium, etiam morale nullam
habet causalitatem; sed solum habet rationem
effectus finis: ergo ad intendendum efficaciter
finem non requiritur, quod medium existat in
præscientia intendentis finem; sed potius neces-
se est, quod intentione, velut suâ causâ, posterius
existat in præscientia; loquendo de præscientia
intuitiva, quæ ad medium ut actum futurum ter-
minetur. Quod addo; quia ad volendum effica-
citer finem, ut talis voluntas sit prudens, requi-
ritur præcognitio mediæ possibilium, ne al-
liter intendenti meritò illudatur & dicatur:
Hic cœpit edificare & non potuit consummare,
ut Dominus monet Luc. 14. Hucusque Theod.

Qui ibidem n. 563. rectè notat, perinde esse
ad veritatem dicte Majoris, si quis intendat
finem sibi, siue alteri. Sic enim Pater efficaciter
intendere potest filio doctrinam seu eruditio-
nem, tamen non immediatè ad eam concurrat,
& non habeat in sua potestate applicationem
omnium causarum concurrentium immediatè
ad illum effectum. Alioquin neque Medicus pos-
set efficaciter intendere sanitatem infirmi, quam
non causat, nisi applicando activa passiva; neque
creatura aliquem suum effectum; quia non ita
habet in manu sua concursum Dei, quin illum
Deus aliquando possit subtrahere. Ergo ut vo-
luntas illa patris sit efficax non solum circa me-
dia, sed etiam respectu finis, satis erit, ut, si in
potestate patris foret infallibiliter inclinare vo-
luntatem filii ad cooperandum mediis à se sub-
ministratis, & ponere omnia alia, ad consequen-
dum illum finem necessaria, id omnino faceret,
& finis adeptio de facto sequeretur. Atque ut
talitè pater non intenderet, efficaciter doctrinam
filii, num ex eo bene inferitur: ergo Deus ante
prævisionem meritorum, sequit intendere fi-
nem, v. g. gloriam æternam ab homine conse-
quendam? Heculè in manu Dei sunt omnes
causæ necessariae ad talem finem, seu effectum,
juxta illud Proverb. 21. v. 1. *Sicut divisiones aqua-
rum, ita cor Regis in manu Domini; quocumque
voluerit, inclinabit illud.*

Cum ergo homo finem, à se consequen-
dum prius efficaciter intendit, quam eligat me-
dia (quippe finis est est in ejus potestate, & or-
dinatè volens exercere suam potestatem, prius
efficaciter intendit finem, quam eligat media,
quia hæc propter illum vult) quantum magis
Deus nobis efficaciter volet vitam æternam ante
electionem mediæ. Etenim vita æterna
magis est in potestate illius quam in nostra:
ergo ante prævisa merita, quæ non sunt nisi
media, eam nobis voluit. Et quævis ad ali-
quam electionem mediæ posset sufficere
simplex complacentia, vel etiam voluntas effi-
cax conditionata finis, ut patet in voluntate an-
tecedente, quâ Deus vult omnes homines salvos
fieri; haud equidem ad electionem absolutam
omnium

269.

In ordine
intentionis
mediū etiā
morale nul-
lam habet
causalitatem.

270.

Potest ali-
quis alteri
efficaciter
velle finem,
est eum
non imme-
diatè causat.

271.

Prius effi-
caciter in-
tenditur fi-
nis, quam
eligantur
media.

Aboluta eo
lectio omniū
mediæ
præsupponit
perfectam
& absolutam
intentionem
finis.

omnium mediorum, quæ infallibiliter consequantur effectum. Illa siquidem electio præsupponit etiam perfectam & absolutam voluntatem finis. Cum itaque Deus media provideret creaturæ rationali, quibus infallibiliter consequatur salutem, liquidò sequitur, quod prius non simplici complacentia, aut voluntate conditionata, sed perfectâ & absolutâ voluerit eam salvare, ex qua voluntate profuxit illa applicatio infallibilium mediorum.

272. Sanè quòd Deus habuerit perfectam intentionem erga electorum beatitudinem, videtur (inquit Smif, sup. n. 565.) negari non posse; nam, si ullum finem sub fine ultimo, qui est gloria ipsius, perfectè intendit, maxime id locum habet in intentione istius finis; nam reliqua omnia ordinavit propter electos, dicente Paulo ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, &c. Unde completo electorum numero cessabit præsens ordo, & præsens gubernatio mundi sensibilis, erique generationum & corruptionum finis, ut est communis sententia Theologorum. Sic ille. Apud quem plura ad idem propositum reperies.

273. Si inferas: ergo tamen Deus voluisset, non potuisset gloriam decernere post prævisa merita. Negatur Consequentia: nam licet præsumamus, Deum habuisse perfectiorem intentionem finis, quia præsumimus, quod melius est, quando de contrario non constat; potuit tamen absolute habere intentionem imperfectam negativè, id est, non optimam (secus privativè, id est, non bonam) quia, ut patet ex alibi dictis, non necessariò semper vult, quod melius est respectu finis proximi; semper tamen quod bonum est, imò respectu finis remoti seu ultimi; qui est gloria Dei, quod optimum est, sano modo illud intelligendo, de quo vide Disp. 2. Sect. 2. Conclus. 10. Insuper rursus aliquis: ergo Deus prius voluit illud, quod est fini propinquius, juxta doctrinam Scoti 3. Dist. 7. q. 3. Dub. I. *Universaliter ordinatè volens*, prius videtur velle hoc, quod est fini propinquius. Ergo prius voluit gloriam illi, qui est beator, imò prius voluit hominem beatum seu hominis beatitudinem, quam esse ipsius, cum beatitudo propinquior sit.

274. Respondet Felix de Prædest. cap. 4. Diffic. 5. n. 9. satis probabile esse, fuisse ordinem prioritatis inter ipsos prædestinatos propter excellentiam Aliquorum. Probat ex congruentia Scoti; quia ordinatè volens prius vult finem, quam ea, quæ sunt ad finem, & inter hæc prius, quæ sunt fini proximiora; ergo prout Sancti approximantur fini, fuerunt prædestinati. Sic ille. Sed enim, dicit aliquis, Scotus in 3. Dist. 19. q. un. 5. *In ista questione*, n. 6. & alibi ait: *In secundo signo intellexit (Deus) omnes alias creaturas. In tertio prædestinavit hos ad gloriam & gratiam*, & circa alios habuit actum negativum. Ergo non est prius & posterius inter prædestinatos.

275. Respondet Felix sup. n. 10. negando Consequentiam: nam, inquit, tale signum est divisibile in alia, ut patet: nam in eodem signo, ait

Scotus, prædestinatos esse ad gloriam & gratiam; & tamen in diverso signo est prædestinatio gratia ac gloria, ut ipse docet 3. Dist. 32. 4. Tertium patet, n. 6. ibi: *Secundò vult habere alios diligentes (divinam bonitatem) & hoc est, velle alios habere amorem suum in se, & hoc est prædestinare eos, si velit eis hoc bonum finaliter*. Tertio vult illa, quæ sunt necessaria ad attingendum hunc finem, scilicet bona gratia.

Urges: unus prædestinatus non est causa finalis respectu alterius: ergo non est, cur inter illos constituamus prioritatem & posterioritatem. Respondet idem Auctor: negando rursus Consequentiam: nam (inquit) sufficit, quòd unus sit perfectior alio, & proximior fini, ut prius eligatur. Ita Felix.

Sed hoc est, quod quaeritur; & idèd probatum oportuit, non suppositum. Quod probat sciens Theodorus, respondet sup. n. 569. dicens: *Quam Scoti intelligendum esse de propinquitate in esse mediæ & principii, conducentis ad istum finem, non autem in esse rei*. Et idèd (auditis Smif.) rectè intulit Scotus, quòd dicit Deus vult prius gloriam alicui, quam gratiam, quia hæc est medium ordinatum ad illam; ita prius velit Christo gloriam, quam alicui alteri electorum velit gloriam; quia & gloria aliorum electorum ordinatur ad gloriam Christi hominis, & gloria Christi ulterius ac propinquius ad gloriam Dei, quæ est ultimus finis. Non sic autem comparandum inter se alios electos, gloria unius electi ordinatur ad gloriam alterius, & consequenter nec in ratione mediæ remotius ordinatur ad gloriam Dei, quam gloria alterius electi, licet eorum gloria sit inæqualis; sed hæc inæqualitas atque varietas unam constitutionem pulchritudinem corporis electorum ordinatam ad gloriam Christi hominis, & ulterius ad gloriam Dei.

Ad alterum exemplum in principali objectionem tactum respondet idem Auctor: per beatitudinem tanquam per medium non propinquius conjungitur quis fini ultimo, quam per substantiam; sed per substantiam tanquam per subiectum; per beatitudinem verò formalem, tanquam per formam immediate conjungitur beatitudini objectivæ & ultimo fini: ordinatè autem volens formam, non prius eam vult, quam velit subiectum talis formæ, & ita Deus non vult prius hominem beatum esse, quam esse. Dicunt præterea Adversarii: illam Majorem Scoti solum videri veram, quando nulla est ratio, quæ movere potest ad volendum media præter finem amatum; hic autem est alia ratio, scilicet ipsa bonitas divina, quæ movet & ad dandam gratiam, & ad dandam gloriam, & ad danda merita.

Paret à simili, quando Medicus applicat medicam efficaciam ad sanandum inimicum (quem mallet mori) ne ipse interficiatur, aut perdat suam reputationem; non enim prius intendit sanare, quam applicet medicam; quia ad applicationem movet conservatio propriæ vitæ, vel honoris. Similiter qui dat ex liberalitate aut

charitatē pecunias alicui, ut lucretur aliquid à semetipso iis mediantibus, non intendit prius absolute dare illud ipsi, in ordine ad quod lucrandum dat pecunias, quam det pecunias. Sic illi. Respondeo primò cum Smif. sup. n. 571. Dum velle omnia propter semetipsum immediate & adequatè, tanquam propter objectum motivum; & nihilominus velle unum bonum creatum esse propter alterum, tanquam propter terminum seu finem illius voliti propter alterum; movetur enim à sua bonitate ad volendum omnia ordinatè, adeoque ad ordinandam media in finem; ad cuius ordinationis perfectionem requiritur, ut finis ante electionem mediòrum sit ordinatus efficaciter absolute.

Hinc D. Tho. 1. Part. q. 19. a. 5. in Corp. ait: Velle finem non est ei (Deo) causa volendi ea, quæ sunt ad finem: sed tamen vult ea, quæ sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc. Consonat Doct. Subtilis 4. Dist. 49. q. 8. n. 7. 8. Ad illud de fine, ibid. Deus est causa finalis omnium, & hoc non aliter, nisi sicut propter quem amata sunt res. Deus enim omnia producit propter seipsum, & se est finis immediatus omnium ut propter se, & à se, non ad se ut ad finem immediatum. Igitur in casu proposito immediatus finis meritorum est Deus, bonitas divina ut propter se & à se, non autem ut ad se. Quis ergo finis immediatus ut ad se? Gloria electorum. Vide dicta Disp. 2. Sect. 2. Conclus. 7. Respondeo 2. istud argumentum Adversariorum, solum probare, Deum absolute potuisse decernere gratiam & merita ex alio fine, quam gloriæ, quod nos non negamus: sed inde non sequitur sic factum esse. Immo oppositum colligitur ex Apost. Rom. 8. v. 30. Quos prædestinavit (ad gloriæ) hos & vocavit, & quos vocavit hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit. Ergo ex voluntate gloriæ procedit voluntas vocandi & justificandi; atque adeò voluntas meritorum, & non è contrà ex voluntate meritorum voluntas gloriæ.

Indè verò, reponit quispiam ex voluntatē meritorum voluntas gloriæ; quia merita sunt ratio, ob quam Deus velit dare gloriæ; ergo non prius debet velle dare gloriæ, quam merita; sed vice verà. Respondeo distinguendo Antecedens: sunt ratio in executione; concedo; & idè in executione præcedunt gloriæ: in intentione, nego Antecedens. Ac per hoc Conclusio nostra intelligenda est de prædestinatione in intentione, de qua controversatur inter Doctores; nam omnes, qui admittunt dari in Deo decretum executivum, consequenter docent, illud non esse antè prævisa merita.

Dum ergo Conclusio asserit, prædestinationem factam esse ante prævisa merita, necessariò loquitur de prædestinatione secundum ordinem intentionis, quem Adversarii negant, nos statuimus. Dicimus, inquam, non prius Deum decrevisse dare gloriæ propter merita, tanquam media ad eam consequendam, quam absolute & efficaciter decreverit dare gloriæ,

Tomus II.

tanquam finem, per merita tanquam media acquirendum. Et idem est de gratia, quæ solà parvuli salvantur, utpote in eapaces proprii meriti. Quid miramur? Equidem nemo potest medium quæ tale velle, nisi velit finem, vel alio vel eodem actu; quia media vel nullam habent bonitatem, nisi bonitatem finis, ut Multi putant; vel eertè non nisi relativam in ordine ad acquisitionem finis, ut melior sententia tenet: ergo non potest quis ea prius velle, quam aliquo modo velit finem. Sed gratia & merita sunt media in ordine ad gloriæ, & ut talia vult ea Deus, ut est absque controversia; ergo Deus non prius vult gratiam & merita, quam gloriæ.

Respondet Joan. Poncius in suo cursu Theologico Disp. 7. q. 3. (ubi n. 17. docet oppositum nostræ Conclus.) respondet, inquam, n. 19. distinguendo ultimum Consequens: volitione efficaci & absolute, de qua est controversia, & quæ sola sufficeret, nego Consequentiam: volitione alia non tali, sed simplicis complacentiæ, aut etiam efficaci; supponit tamen conditione, concedo Consequentiam; de illa tamen non agimus hic, sed de priori. Sic ille. Sed contrà: non potest quis medium efficax efficaciter & absolute velle quæ tale est, quin prius velit efficaciter & absolute finem; sed gratia cum finali perseverantia est medium efficax ad consequendam gloriæ, & Deus eam efficaciter & absolute vult ut tale medium est; ergo prius vult efficaciter & absolute gloriæ dare iis, quibus vult dare gratiam cum finali perseverantia. Ita eod. num. 19. sibi ipsi objicit Poncius,

Respondet porro, distinguendo Antecedens: quando medium volitum, est medium totale conducent & sufficiens ad positionem finis, transeat; quando non est totale, sed parziale, & alterum quid ulterius requiritur, quod habet rationem particularem movendi ad volitionem finis, nego Majorem: in proposito autem gratia non est medium totale ad positionem gloriæ sufficiens; sed præterea requiruntur merita; & merita habent virtutem movendi aliquo modo Deum ad volitionem dandæ gloriæ. Sic ille. Quod ut melius intelligatur, advertit n. 20. gratiam, etiam efficacem non sufficere ad acquisitionem gloriæ: quia multi habent gratiam efficacem ad opera bona & meritoria, qui non consequuntur gloriæ; nec etiam merita ipsa, facta ex gratia, sufficiunt; quorum utrumque patet in iis, qui non perseverant in iustitia: unde ulterius requiritur finalis perseverantia. Ita Poncius. Planè requiritur finalis perseverantia, juxta illud: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, Matth. 10. v. 22. Sed quid tum? Nunquid Deus tali casu vult illam gratiam efficacem, ut medium ad gloriæ? Constat, quod non; sed duntaxat ut medium ad opera meritoria, quod & non aliud probat dicta objectio.

Ex quo patet solutio ad principalem responsionem Poncii: nos enim non dicimus, quod sola gratia sit medium totale (quàmvis & in parvulis

Confirmatur.

283.
Responsio
Adversariorum.
Poncius.

Argumentum
contrà.

284.
Responsio
Poncii.

285.
Ejus objectio.

Solutio.

285.
Satisfactio
sponsioni.

A a

parvulis

parvulis tale sit, ut sup. indicavi) sed quod volitio mediæ totalis respectu adultorum, scilicet volitio gratiæ & meriti usque in finem, supponat efficacem intentionem gloriæ. Quod autem addit præfatus Auctor, merita habere virtutem movendi Deum ad volitionem dandi gloriam, ut verum esset; attamen non nisi in executione, ut sup. dictum fuit; nam in intentione merita nequaquam sunt finis gloriæ; sed contra gloria est finis meritorum; jam autem finis est prior in intentione, est posterior in executione. Et verò, quod attinet ad finalem perseverantiam, non dissentit à nobis Poncius; nam in fine n. 20. sic ait: Unde apparet, quod prius viderit merita, quam determinaverit gloriam, licet prius determinaverit absolute gloriam, quam dederit gratiam perseverantiæ. Sed quæro ego: si prius absolute gloriam, quam gratiam perseverantiæ, cur non etiam prius gloriam, quam merita, in quibus homo perseverat.

Secundum
Poncium
Deus prius
voluit glo-
riam, quam
perseveran-
tiam.

286.
Disparitas
inter perse-
verantiā &
merita.

Exploditur.

Quia, inquit, gloria non correspondet perseverantiæ, sed solis meritis, in quibus perseveratur: ergo nequit Deus determinare gradum gloriæ, nisi prius determinaverit gradum meritorum; perseverantia autem communis est, & necessario requiritur ad quemcumque gradum; ergo prius potest determinare quantitatem gloriæ & meritorum, quam velit dare perseverantiā; prius autem debet determinare quantitatem meritorum, quam gloriæ. Respondetur: hic peti principium; quid enim repugnat Deum ordine intentionis prius determinare quantitatem gloriæ, & post opera tantæ gloriæ meritoria? Sanè D. Aug. eodem modo loquitur de meritis atque perseverantiā in illis, ut patet ex dictis; similiter de gratia ac meritis; & ut ostendimus Supposito secundo, per prædestinationem intelligit actum perfectum & completum, terminatum utique ad gloriam & gratiam, adeoque ad merita, quæ ex gratia procedunt: si ergo Deus decrevit in intentione dare gloriam prius, quam perseverantiā in gratia, quidni etiam prius, quam merita? Non video sufficientem disparitatem, saltem quoad gloriam indeterminatam.

287.
Obiectio
Solvitur.

Dices: illa intentio non est efficax, nisi accedat voluntas executionis; ergo non est asserenda. Respondeo: etiam non est efficax, nisi accedat decretum perseverantiæ; & tamen secundum Poncium, prius vult gloriam, idque absolute & efficaciter (de hac enim voluntate quæritur, non de conditionali, quæ velit dare gloriam, si merita præcesserint cum perseverantiā in finem, quam etiam hic Auctor admittit) vult, inquam, gloriam absolute & efficaciter, antequam velit gratiam perseverantiæ; tamen sine hac gratia prior voluntas nunquam sit habitura effectum. Quidni igitur & illa intentio sit efficax & consequenter admittenda, quantumvis sine voluntate executionis nunquam sit habitura effectum? Proinde hæc obiectio solum probat, eam non esse efficacem immediate & proximè, sed mediare & remote, quod sufficit ut simpliciter dicatur efficax. Sic enim volun-

Quæ ratio
probat
intentionem
esse efficacem.

tas ambulandi dicitur efficax, quamvis accedere debeat potentia executiva. Satis est, ut in suo ordine, & suo modo, nempe per modum imperii applicantis potentiam executivam, & per modum efficientis mediatè sit efficax. Ita ergo in casu præfati, ut intentio dandi gloriam sit absoluta & efficax ante prævisa merita, satis est, si ex vi ipsius per modum cuiusdam imperii ponatur decretum executivum, sive voluntas gratiæ & meritorum, ac finalis perseverantiæ.

Instat aliquis: illa prior intentio est confusa, quia de danda gloria indeterminata. Respondio negativa patet ex Conclusionem ibi: Ad determinatum gradum gloriæ; quamvis hoc non crearet suā difficultate; imò videri posset contra Scotum 3. dist. 7. a. 3. u. 2. ibi: Quia non tanta gloria fuisset sibi (naturæ humanæ in Christo) conferenda, si non esset unita, sicut modo collata est. Quemadmodum ergo merita cadunt sub prædeterminatione, sine quibus non ordinaretur de congruo quæ ad tantam gloriam sine eis, sicut cum eis ita videtur gloriæ unio (hypostatica) ordinari ad tantam gloriam de congruo, licet non cadat sub prædeterminatione tantum meriti. Ita Doct. Subtilis. Nihilominus Conclus. nostram tradit Smil. sup. n. 574. & sequitur Felix hic cap. 4. diff. 7. n. 2. Probat: quia est perfectior providentia, quæ finis sit intenditur, ut intentio finis sit mensura electionis mediorum; nam hoc modo major est dependentia electionis ab intentione, eliquæ major inter eas connexio & subordinatio: ergo Deo tribuenda, nisi aliquid obstat.

Igitur existimandum, quod Deus velit in primo signo, ut electi certum gloriæ gradum consequantur; ac deinde media huius intentioni & fini commensurata illis disponat. Quippe intentio dandi gloriam indeterminatam, seu abstractam à determinato gloriæ gradu non potest esse mensura electionis mediorum; cum, posita intentione illa, magna vel parva mensura eligi possint, quibus ad magnam vel parvam gloriam perveniatur, ut per se patet. Enimvero non est minus gratiosa gloria determinata meritis (inquit Felix sup.) quam gloria absolute, cum merita non solum in communi, sed in particulari, & in gradu determinato sint effectus prædestinationis. Sicut ergo Deus dat gratiam meritis electis, quia vult dare gloriam; ita quoque dat tantam gratiam, & tanta merita, quæ vult dare tantam gloriam. Vel ostendatur id esse impossibile; nos infra, solvendo objectiones, liquidò demonstrabimus esse possibile. Prius explicemus Scotum.

Smilung. sup. n. 575. existimat, Scotum loco citato n. 4. in fine nostram sententiam indicare, dum sic ait: Potest igitur dici, quod prius nunciat, quam aliquid prævidebatur circa peccatorem sive de peccato, sive de pœna, Deus prælegit ad illam curiam celestem omnes, quos voluit habere Angelos & homines in certis & determinatis gradibus. Ergo, secundum Scotum, electio seu prædestinatio ad certum gradum facta est ante prævisum peccatum; igitur ante prævisionem gratiæ ac meritorum. Nam quædam gratia, scilicet quæ ad justificationem

nem disponitur, & quoddam meritum v.g. poenitentia, essentialiter supponunt peccatum. Præterea (quod scitè notat Theod.) nec hic, nec alibi aliud instans assignat post primum, in quo electis prædestinata sit gloria in certo & determinato gradu. Sentit ergo hoc esse factum in primo instanti, in quo facta est electio seu prædestinatio ad gloriam. Accedit: quod principium istud à Scoto assumptum, scilicet, Ordinate volens prius vult illa, quæ sunt fini propinquiora, etiam concludat de gloria determinata; quia & hæc est propinquior fini.

Denique patet ex contextu dictæ q. 3. Scotum ibi loqui de executione, non de intentione; id est, solum velle, quod ordinatio ad tantam gloriam non mandaretur ita congruè executioni sine meritis, sicut cum eis; non autem velle, quod præordinatio ad tantam gloriam sit etiam præordinatio meritorum, vel hanc supponat. Ita Smil. sup. Et post ipsum Felix sup. n. 3. dicens: Decreto intentivo primò decernit (Deus) dare animæ Christi summam gloriam, & postea summam gratiam, quas in executione dedit, quia erat Verbo unita, quæ si unita non esset, tantam gloriam & gratiam non tribueret. Sic ille.

Obijcit sibi: decretum executivum dandi gloriam præcedit in prævisione Dei merita de condigno; ergo fallò Scotus ait, quod sine istis meritis non ordinaretur de congruo quis ad tantam gloriam. Respondet: quod ly *De congruo* non contra-ponit Scotus ad meritum de condigno; sed ad non meritum: nam mens Scoti est, quod, postquam Deus in intentione ordinavit hominem ad gradum gloriæ determinatum, potuit ordine executivo decernere dare illi gloriam sine meritis, ut datur parvulis, vel cum meritis, ut datur adultis; tamen congruentius erat, quod daretur ex meritis, ut sicut Christus, qui est Caput nostrum, nobis gloriam meruit, ita & nos, qui ejus membra sumus, eandem gloriam mereremur. Ita Felix. Quemadmodum meremur de congruo justificationem nostram, quia meriti capaces; secus parvuli, quoniam incapaces. Confirmatur hæc interpretatio Scoti ex eis, quæ habet d. q. 3. n. 5.

Potest, inquit, dici, quod cum in actione artificis sit contrarius processus in exequendo ei, qui est in intendendo, & Deus prius ordine executionis univit sibi naturam humanam, quam contulerit sibi summam gratiam vel gloriam, & conversò potest poni intendendo, ut sic Deus primò voluit, aliquam naturam non summam habere summam gloriam, ostendens, quod non oportet eum conferre gloriam secundum ordinem naturarum; & quod secundò voluit, illam naturam esse in persona Verbi, ut sic Angelus non subest puro homini. Adde, quod scribit 4. Dist. 4. q. 7. n. 3. ibi: *Voluntatem quia Deus prædestinavit diversos electos ad diversos gradus gloriæ, & hoc ante determinationem hujus signi (Baptismi) ad tantam vel tantam gratiam conferendam; & ordinato ad majorem gloriam rationabiliter potest conferri major gratia, &c.* Ergo, secundum Scotum, prius prædestinavit electos ad tantam gloriam,

Tomus II.

& posterius ad tantam gratiam, & per consequens ad tanta merita.

Sed enim, dicit aliquis: hæc ratione contingere poterit, ut viator ad talem gradum gratiæ deveniat, ut nec peccare, neque in gratia proficere possit; quod Clemens V. in Concil. Viennensi. damnavit, ut refertur in Clement. Ad nostram, de Hæreticis, ubi inter errores Beguadorum primus ponitur: *Quod homo in vita præfenti tantum & talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit: nam (ut dicunt) si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.* Quod porro hic error sequatur ex nostra doctrina, probatur: nam bene stat, quod quis ante mortem suis meritis acquirat jus ad gloriæ gradus sibi prædefinitos; in quo casu aut iste non potest ulteriorem gradum gloriæ mereri, & sic habetur intentum; aut potest: ergo habebit majorem gloriam, quam esset illa, ad quam erat electus ante prævisionem meritorum, quod est contra nos. Eodem modo probatur non posse peccare; quia poenitentia postea à fortiori habenda, cum sit prædestinatus, erit meritoria novi gradus gloriæ.

Respondet Felix sup. n. 4. casum non esse admittendum; quia sicut prædestinatus habet taxatum gradum gloriæ, quem consecutus est, ita habet taxata merita illi gradui proportionata. Unde ita disponit Deus auxilia, & omnes actiones, ut nunquam ille homo perveniat ad meritum gloriæ sibi præfixum, nisi in fine vitæ. Sic ille. Dices: saltem Deus in illo primo instanti non prædestinavit gloriam sub ratione præmii & mercedis; sed solum beatitudinem ut sic abstractendo à beatitudine talis vel alterius conditionis: ergo intentio illa fuit confusa.

Negatur Consequentia: nam (inquit Theod. sup. n. 576.) hæc rationes tantum extrinsecè denominant formam illam beatificam, nec eam constituunt aut intrinsecè informant; & sic forma illa perfectè & distinctè secundum omnem suam rationem particularem intrinsecam potest in primò signo esse à Deo intenta, absque eo, quod sit intenta sub ratione mercedis & præmii, vel sub ratione doni gratuiti. Sic ille.

Alii (pergit idem Auctor) qui nobiscum in sententia consentiunt, in modo eam explicandi, & respondendi ad hoc argumentum dissentiant, asserentes, electionem ad gloriam non esse quidem ex meritis prævisis; tamen eodem actu, etiam secundum rationem, quo Deus vult alicui gloriam, etiam velle Deum, quod illam gloriam habeat tanquam mercedem & præmium bonorum operum. Sed non loquuntur consequenter, inquit Theod. ut infra ostendam in propria questione de ordine actuum divinæ providentiæ. Est autem q. duodecima, ubi n. 773. & sequentibus, docet fuisse ordinem causalitatis, & per consequens distinctionem secundum rationem inter prædestinationem gloriæ, gratiæ, & meritorum. Vide

Ac 2

quæ

294.
Obiectio.

Error quidam
Beguadorum.

An sequatur ex nostra sententia.

295.
Responditur, quod non.
Felix.

Alia obiectio.

296.
Solvitur ex Smiling.

197.
Responsio
Alicuius.

Rejicitur
ex Smiling.

quæ nos diximus de ordine decretorum divino-
rum Disp. 2. Sect. 3. Conclus. 3. 4. & 5. Item
disp. 3. Sect. 1. Conclus. 4. Sufficit nobis, quod
prædestinatio non sit facta post prævisa merita,
quod hæcenus (ut reor) satis probatum fuit
tam ex Scriptura, quam S. Augustino atque
ratione.

298. Restat tantum, ut respondeamus iis, quæ
Obijciuntur
varie Scrip-
tura nostra
Conclus.
Adversarii ex Scriptura, SS. Patribus, ac ratione
objiciunt. Atque in primis sic argumentantur:
Deus ita prædestinavit gloriam, sicut in tempore
eam confert; atqui confert ex meritis; ut patet
ex innumeris penè Scripturis; ergo prædestina-
vit gloriam post prævisa merita. Scripturæ
illæ sunt Matth. 25. v. 34. Venite benedicti Patri
mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione
mundi; servivi enim & dedistis mihi manducare &c.
Et similes (quis videre poteris apud Smil. sup.
n. 463.) in quibus significatur, bona opera seu
merita esse causam consecutionis gloriæ. Aliæ
etiam sunt Scripturæ, in quibus vita æterna di-
citur merces, præmium, corona justitiæ &c. non
datur autem merces nisi operariis, nec corona
& brævium nisi certantibus. Scripturæ obviæ
sunt, Matth. 20. & 25. ubi proponitur parabola
operatorum laborantium in vinea, & servo-
rum, quibus commissum erat negotiari cum ac-
ceptis talentis, qui omnes mercedem retule-
runt secundum suum laborem. Et cap. 5. v. 12.
dicitur: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra
sepulta est in celis. 2. Timoth. 4. v. 8. In reliquo
reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi
Dominus in illa die iustus iudex. 1. Cor. 9. v. 24.
Nescitis quod si, qui in stadio currunt, omnes quidem
currunt, sed unus accipit brævium? Plures ejusmo-
di Scripturas vide apud Smil. sup. n. 464. Et
n. 465. enumerat Scripturas, in quibus signifi-
catur, ab homine pendere, quod æquid sit de nu-
mero electorum & salvandorum: beneficium
igitur electionis & salutis obvenit homini rati-
one bonorum operum.

299. Sed quis hoc negat? omnes ingenuè fatentur.
Intelligenda
sunt de or-
dine execu-
tionis.
Ergo prædestinatio ad gloriam facta est ex præ-
visis meritis: distinguo consequens, in ordine
executionis, concedo; in ordine intentionis,
nego. Igitur Scripturæ allegatæ, & SS. Patres,
qui simili modo loquuntur, intelligi debent de
ordine executionis, ut quemadmodum in tem-
pore datur gloria propter merita, ita ab æterno
ordine executionis decreta fuerit propter meri-
ta, ut media idonea, & ex dispositione Dei ne-
cessaria ad gloriam prædestinatam consequen-
dam. Itaque gloria est finis meritum; merita
autem causa moralis efficiens seu impetratoria
gloriæ, & ideo gloria est prior in intentione;
merita autem priora in executione.

300. Atque hac ratione seu distinctione, optime
conciliantur Scripturæ & SS. Patres inter se,
dum uno loco dicunt gloriam gratuito præde-
stinari, & alio loco eam dari ex meritis. Deus
(inquit S. Prosp. lib. 2. de Vocat. Gent. c. 53.)
his, quos elegit (scilicet in intentione) sine meritu,
du (intellige in executione) unde ornantur &
meritis. Itemque S. Aug. Serm. 7. de Verb. Domi.

ait: Quoniam, quos voluit Dominus, hos elegit, elegit
autem & secundum suam gratiam (in intentione)
& secundum illorum justitiam, in executione.
Quamquam & hoc dictum D. Aug. possit totum
intelligi de ordine executionis; quippe &
ipsa merita gratia sunt, cum sine gratia nullum
detur meritum vitæ æternæ. Hinc Celestinus
Papa in Epist. pro Prosp. c. 12. Tanta (inquit)
est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra vitæ
esse merita, qua sunt ipsius dona. Et ipse Aug. lib.
de Grat. & lib. arbit. c. 6. interrogat: Cui red-
deret coronam iustus iudex, si non donasset gratiam
misericors pater?

Omitto, quod ait Scotus 1. dist. 17. q. 2. n.
26. Deus ab æterno praviens hunc actum ex ratione
principis eligendum, voluit ipsum ordinatum ad præ-
mium, & ita actu voluntatis sua ordinando ipsum ad
præmium voluit ipsum esse meritum, qui secundum
se consideratus absque tali acceptatione divina secun-
dum strictam iustitiam non fuisset dignus tali præmio
ex intrinseca bonitate, quæ haberet ex suis principiis.
Et quis dubitet, illam acceptationem esse gratiam
tam, atque adeo merita ut talia esse gravola?
Elegit ergo Deus prædestinatos etiam in exe-
cutione secundum suam gratiam, & secundum
illorum justitiam, id est, secundum eorum me-
rita, quæ talia non essent, nisi præcessisset gra-
tia, scilicet dicta acceptatio divina. Hæc dispice.

Ego lubens fateor, Deum conferre effectum
prædestinationis, sicut ab æterno disposuit ubi
ly sicut, non necessariò sumitur comparativè,
sed potest accipi consecutivè seu concomitantè,
ut sensus non sit, quod Deus in executione
temporali servet ordinem similem illi, quem
servat in prædestinatione; sed quod prædestina-
tio divina certissimè impleatur eo modo, quo
dicimus: sicut artifex apud se disposuit, ita opo-
ratur; non enim significamus similitudinem
ordinis inter dispositionem & operationem
(cum ordo executionis sit oppositus ordini in-
tentionis, ut sup. audivimus ex Scoto) sed
solum impletionem dispositionis: atque a-
deo Scripturæ sup. allegatæ, tanquam nobis opo-
positæ, tales minimè sunt.

Sed nunquid illæ Scripturæ contrariæ, ubi
Deus significat, se habere ex parte sua æqualem
& sincerum affectum salvandi omnes? Item in aliis
quibus omnes invitatur ad salutem, & quidem æ-
qualiter, ita ut neminem excludat à gratia vo-
cationis congruæ? Exemplum primæ partis ha-
betur 1. ad Timoth. 2. v. 4. Qui (Deus) omnes
homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis
venire. Ubi sermonè esse de serie & æquali vo-
luntate erga omnes, patet ex contextu. Exem-
plum posterioris partis, quod ait Chrysostomus
Matth. 11. v. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis
& onerati estis (scilicet multitudine peccatorum)
& ego reficiam vos. Joan. 1. v. 9. Erat lux vera, quæ
illuminat omnem hominem, venientem in hunc mun-
dum. Atqui hæc falsa forent, si Deus aliquibus
ante prævisa merita decrevit gloriam & gratiam
congruam, aliis autem non; ergo &c.

Respondeo: nimis clarum est in S. Augusti-
no, sup. non semel relato, Deum specialiter
providere

providere electis de mediis necessariis ad salutem, scilicet de gratia efficaci seu congrua; idque (ut nos putamus) ante prævisionem cooperationem liberi arbitrii. Quocirca Scripturæ adducæ & aliæ simile (quas videre poteris apud Smil. sup. n. 467. & seq.) intelligi possunt, & verò debent, non de omnimoda æqualitate, sed de auxilio sufficienti, quod Deus omnibus dat, tum ut convertantur ab infidelitate ad fidem, tum etiam ut peccator agat penitentiam, veluti ex dictis disp. 2. Sect. 4. Conclus. 3. & 4. satis constat; estque hæc voluntas propria & sincera, ut ibi declaratum fuit. Dices: si architectus seligeret aliquos lapides ad ædificium, & alios decerneret excludere, non diceretur velle omnes lapides ædificio: ergo si Deus aliquos eligit ad gloriam, & alios excludit, non diceretur, quod vult omnes salvere. Ita sibi objicit Felix sup. n. 15.

Respondet autem: quod si architectus congregavit omnes ad ædificium, & postea aliquos elegit, & circa alios merè negativè se habuit, ita ut nullum positivè excludat, ut Deus fecit in prima intentione, rectè diceretur, velle omnes lapides ædificio. Sic ille. Simili ferè modo ante ipsum respondit Smil. sup. n. 82. Exemplum (inquit) illud architecti non est ad rem. Cum enim id, quod est poni in ædificio, nullo modo possit esse in potestate lapidis, sed sit in solâ potestate artificis, non potest dici, quod artifex voluntate antecedente, seu quantum est ex parte sua, ac nisi lapides obsteret, velit etiam eos lapides, quos absolutè non seligit, ponere in ædificio: nam lapides isti obsteret non possunt, nec artifex aliquid circa illos operatur, per quod sit in eorum potestate, quod ponantur in ædificio. Deus autem etiam illis lapidibus vivis, quos absolutè non seligit ad structuram celestis civitatis, decernit media, per quæ proximè vel remotè sit in ipsorum potestate, quod coadjuvantur in illam civitatem. Ita Theod.

Et eandem responsum applicat alteri exemplo, v. g. agonothetæ plures invitantis ad certamen, & non omnibus absolutè decernentis braviu. Nam (inquit) si quibusdam ex illis pluribus ita absolutè decernat braviu, ut per tale decretum alios non excludat; sed solum negativè erga illos se habeat, donec videat, quod deficiant in cursu, ad quem perficiendum sufficientia illis media subministraverit ex conditionata intentione dandi braviu, prout notra sententia explicat decretum divinum circa electos, & non electos; dicitur sanè talis agonotheta omnes athletas seriò invitasse ad braviu apprehendendum, atque etiam iis, quibus illud absolutè non decrevit, decrevisse illud antecedenter & conditionatè. Verùm si per primum decretum absolutum reliquos non sic absolutè electos excludat, eosque nihilominus deinde ad certamen invitet, meritò dicitur, illis velle illud, quia, stante tali voluntate excludere ante prævisionem cursu istorum, nullam vel conditionatam habet dandi istis braviu. Sed hoc modo exemplum non est ad propositum,

ut patet. Quàmquam & priori modo consideratum non sit omninò simile, ut ibidem hic Auctor ostendit. Vide ipsum.

Instat aliquis: nullus potest habere ex sua parte seriam intentionem finis, qui non vult adhibere media congrua, per quæ juxta humanam prudentiam existimat, pro negotii qualitate certò finem esse obtinendum: ergo si Deus habeat seriam intentionem salutis omnium hominum, debet illis de mediis non tantum sufficientibus, sed etiam efficacibus seu congruis providere; nam hæc potest dare, & probè novit, sine illis finem nunquam fore obtinendum. Respondetur cum distinctione Antecedentis: si finis obtinendus est, independentè à libera alterius facultate, conceditur, si dependentè, negatur: tunc enim satis est ut det illi, à cuius voluntate pendet, media sufficientia; ita ut non consecutio finis imputetur soli voluntati illi, quæ media sufficientia non applicavit. Jam autem in casu proposito salus hominis, quæ est finis, pendet à libera voluntate, vel propriâ, si est adultus, vel alienâ; si est parvulus; & ideo ut Deus censetur eam salutem sincero affectu intendere, satis est, ut det media sufficientia, quàmvis alioquin ex defectu liberæ cooperationis voluntatis creatæ salus non obtineatur.

Unde, quod Deus alicui det media congrua & efficacia, non provenit ex illa voluntate antecedente, quæ omnes vult salvos fieri, sed ex alia, quæ absolutè & efficaciter ipsos prælegit ad gloriam; sic tamen, ut per illam electionem alios non excluderet, sed etiam illo decreto circa electos posito potuerit eis ex simili voluntate dare media congruentissima & efficacissima; quod autem non fecerit, procedit ex alio arcano & inscrutabili suæ sapientiæ consilio, de quo plura Sect. seq. uti de Reprobatione. Neque hinc inferas (inquit Theod. sup. n. 585.) si non præelectos salvari non posse absolutè; neque ab ipsorum libertate pendere, quod non salventur: nam solum est impossibilitas ex suppositione, pendente aliqua ex parte à libertate non salvandorum. Cum enim non obstante illâ aliquorum præelectione ante prævisionem meritorum, Deus etiam cæteros voluntate antecedente sincerè voluerit salvos fieri, & ex hac voluntate illis providerit media sufficientia ad salutem, si illos prævidisset mediis huiusmodi cooperaturos, etiam illis (licet alio ordine ex prævisis meritis gratiæ & liberi arbitrii) efficaciter decrevisset dare vitam æternam.

Hæc ergo ratione ab illis dependet, quod vita æterna non sit illis decreta efficaciter absolutè; rectèque per Scripturam Deus ipsis impropere suam perditionem. Cur autem & illos non ita prælegerit ante prævisionem meritorum, sicut cæteros, quis cognovit sensum Domini? Nisi quod pro generali ratione Paulus ad Romanos scribens, assignet ostensionem divinæ bonitatis & iustitiæ. Hucusque Theod. Reprobi ergo non salvantur, quia salvari noluerunt. Equidem Deus præcisè ex fine salutis omnibus prævidet æqualia media, quàmvis ex

307.
Instantia.

Solvitur.

308.
Ex qua voluntate Deus det media efficacia.

Occurrit objectioni.

309.
Quæ ratio pendens ab homine, quod non sit electus.

aliis finibus adjunctis uni provideat efficacia, alteri solum sufficientia, quod non est contra doctrinam, quam hic defendimus.

310.
Alia ob-
jectio.

Ex quo etiam confectum solvitur hæc ob-
jectio: intentio finis est mensura electionis me-
diorum & proinde ex quantitate electionis
mediorum, quantitas intentionis à posteriori
colligitur: Deus autem non providit omnibus
æqualia media, ut experientia compertum est;
ergo voluntate antecedente non æqualiter om-
nibus intendit salutem. Respondet Smil. sup.
n. 586. quando aliqua media ordinantur ad
plures fines, non esse mensurandam electio-
nem mediorum ex intentione unius finis tan-
tum, sed ex intentione omnium finium simul.
Sic ergo, licet ex intentione omnes salvandi,
Deus provideat omnibus tanta media, quanta
sufficiunt ad salutem; tamen ob alios fines, suæ
sapientiæ notos, non providit omnibus æquæ
sufficientia, sed uni minora, alteri majora,
prout congruit ad alios fines, ab ipso intentos.
Sic ille. Et consimiliter uni gratiam efficacem,
etiam ante prævisa merita, per quam infalli-
liter operatur suam salutem, alteri non.

311.

Præscientia
non est cau-
sa prædesti-
nationis.

Si inferas: ergo prædestinatio non pendet à
præscientia; contra illud Rom. 8. v. 29. *Quos
præcivit & prædestinavit conformes fieri imaginis
Filii sui.* Et illud cap. 11. v. 2. *Non repulit Deus
plebem suam, quam præcivit.* Respondetur: in
hiis, & similibus locis Scripturæ non agi (ut
alibi adhuc dixi) de præscientia præcedente
prædestinationem; sed de consequente aut con-
comitante; nulla siquidem est parricula, quæ
significet causalitatem præscientiæ respectu
prædestinationis, ut patet. Unde quando 1.
Petr. 1. v. 1. & 2. dicuntur quidam *Electi secun-
dum præscientiam Dei*; electio illa secundum præ-
scientiam idem est, quod electio præcisa, seu
electio in præscientia; solum quippe voluit Pe-
trus significare, quod jam ab æterno electio in
præscientia Dei pertineret ad illos, ad quos
scribebat, ut hac spe confirmati satagerent col-
laborare ad executionem illius electionis.
Quemadmodum cum dicit quispiam: *Quas
habui facultates & opes, illas mihi industria & la-
bore paravi*; tamen habuisse præponat, haud e-
quidem est intelligendus, prius habuisse, quam
suo labore paraverat; sed idem potius aliquan-
do habuisse, quod ad eas habendas industriam
suam laboremque multo ante adhibuerit.

312.

Præscientia
aliquando
significat
prædestina-
tionem.

Utrumque ergo, scilicet, *Præcivit, & Præ-
destinavit*, reulit Apostolus ad conformitatem
cum Filio Dei, quam sine dubio Deus præcivi-
vit, quia prædestinavit, & non è contra præde-
stinavit, quia præcivit. Et verò D. Aug. per
ly *Præcivit*, in d. cap. 11. intelligit prædestina-
vit Lib. de Dono Perlever. cap. 18. ibi: *Præde-
stinatio significatur etiam nomine præscientia, sicut
ait Apostolus: Non repulit Deus plebem suam,
quam præcivit. Hoc quod ait, Præcivit, non
rectè intelligitur, nisi prædestinavit. Præcivit enim
reliquias, quas secundum electionem gratia fuerat
ipse factururus; hoc est ergo prædestinavit: sine dubio
enim præcivit, si prædestinavit; sed prædestinasse*

est hoc præcivisse; quod fuerat ipse factururus. Et per
quid fuerat ipse factururus? Nonne per suum
decretum prædestinativum? Ergo prædestinatio
non sequitur, sed præcedit præscientiam.

Contra: ex hoc sequitur, etiam reprobatio-
nem positivam præcedere præscientiam demer-
itorum; id autem falsum est, ut patebit suo
loco; ergo & illud, ex quo sequitur. Probatur
Major: nam secundum Scripturam solum sunt
duo ordines hominum, unus salvandorum, &
alter damnandorum, seu positivè reprobato-
rum: ergo eo ipso, quod ante prævisionem ab-
solutam operum humanorum salvandi sunt ele-
cti, reliqui sunt positivè reprobati; atque adeo
sicut illi sunt electi ante prævisionem bonorum
operum; ita isti positivè reprobati ante prævi-
sionem operum malorum. Respondetur ne-
gando Majorem. Ad ejus probationem dicitur
quod decretum divinum de duplici ordi-
ne non fuerit in primo signo, quo aliqui ele-
cti sunt ante merita, non fuerit, inquam,
consummatum; sed in alio signo Deum vo-
luisse permittere lapsum finalem aliquorum,
in alio illum lapsum prævidisse, & in alio deni-
que voluisse aliquos damnare propter demerita;
atque ita in primo quidem signo fuisse inchoatum decretum de duplici tantum ordine
hominum, tamen in quarto signo fuisse con-
summatum.

Neque propterea illud primum decretum
fuit in suo genere imperfectum & inadæqua-
tum: nam fuit efficax & absolutum circa tales
personas ad tantum gloriæ gradum perducen-
das, ut sup. diximus. Quid aliud requiritur?
Neque enim unum decretum debet quolibet
aliud includere: sed solummodo suum ob-
jectum perfectè attingere, quod hic fit. Nam
illas (ut notat Theod. sup. n. 588.) intentio fi-
nis diceretur imperfecta, inadæquata & confu-
sa, quæ non includeret electionem mediorum;
& electio similiter imperfecta, inadæquata &
confusa, quæ non includeret intentionem finis;
& sic admittere deberent adversæ partis Do-
ctores, imperfectam esse & inadæquatam atque
confusam electionem, quæ Deus, secundum
illos, voluit dare electis gratiam, antequam
intenderet efficaciter absolute dare eis vitam æ-
ternam; quia hæc intentio in illa electione non
includitur, nec per illam electionem differens
salvandorum à non salvandis completur, donec
ista intentio accedat cum aliis decretis ad in-
tegram providentiam supernaturalem consti-
tuendam pertinentibus. Sic ille.

Solum ergo sequitur ex nostra sententia, il-
lud primum decretum non fore totam provi-
dentiam supernaturalem, quod nullum est in-
conveniens, cum aliquin sit perfecta pars ta-
lis providentiæ; pars, inquam, quæ non tran-
sit in aliud decretum, vel per aliud decretum
debeat suppleri aut compleri propriè loquen-
do, quamvis ipsi possit accedere aliud decre-
tum, per quod integra providentia compleatur
seu constitatur. Igitur Deus post primum
illud decretum potuit adhuc per aliud decretum
eligere

eligere ceteros non electos sive ante, sive post prævisa merita; non enim diversitas decreti solum oritur ex diversitate modi eligendi; sed etiam ex diversitate termini: nam electio unius maneret, tametsi per impossibile Deus jam desisteret ab electione alterius, cum nulla sit connectio inter hos terminos, adeoque nec inter actus, ut terminantur ad illos.

Sed quoniam, si hi ante merita, illi post merita eligantur, talis diversitas magnam diffinitatem faciet in coelesti curia, aut Deum constituet personarum acceptiorem, atque inter cives coelestes murmurantem, si ejus essent capaces, merito causabit? Negat optimè Smiling sup. dicens: Sive ex prævisis meritis, sive ante merita prævisa electi sint ad gloriam æternam, æquè poterit esse ordinatissima proportio inter gradus Beatorum; quemadmodum etiam modò ibidem est optimus ordo, etiam si quidam obtineant illam gloriam per merita, ut adulti puri homines, quidam sine meritis propriis, ut parvuli, & Christus quoad gloriam animarum suarum. Neque esset Deus acceptor personarum, qui non obligatur hominibus ad hunc, vel illum eligendi modum determinatè servandam; & non est vitium acceptionis personarum, ubi personarum non habent jus ad id, quod uni præ altera confertur; possetque proinde Deus faciliè respondere murmurantibus, se suam prædestinationem labore promeruisse, quæ aliis obtingeret gratis: An non licet mihi, quod volo, facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Quibusdam gratis, seu ante prævisa merita gloriam æternam prædestinando: Tolle quod tuum est, & vade, accipe gloriam tibi ex prævisis meritis prædestinatam, & in illa conquiesce. Hadenus Theod.

Utinam sic mihi loqueretur Deus! Ocyus grater acciperem gloriam, mihi ex prævisis meritis prædestinatam, & in ea sine murmuratione conquiescerem. Et verò quid refert fuisse prædestinatam in intentione sine meritis, cum in executione detur propter merita? Ex quo festinè cognoscitur, quòd prædestinatio antè prævisa merita non faciat viam salutis faciliorem: nam ut bene S. Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 31. Deus, quos elegit sine meritis, dat unde ornantur & meritis. Et frustra dicitur, quòd ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur, ut electi sint. Id est, juxta alibi dicta, ut effectum electionis, scilicet æternam gloriam consequantur. Quamvis ergo (ut ibidem ait c. 36.) quod statuit Deus (sine meritis) nullà possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis (sine meritis) propositum liberi arbitrii decretis relaxatur, cum implenda voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per laborem operam, per instantiam supplicationum (alias, supplicantium) per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum. Non minus ergo laborandum est adultis, qui sunt electi ante prævisa merita, quàm si fuissent electi post prævisa merita. Quæ ergo ratio murmurandi his, qui post prævisa merita eligerentur? Nulla prosus.

Ex quo etiam manifestè patet, nostram sententiam non magis correctioni & zelo animarum officere, quàm doctrinam Adversariorum. Sufficit quippè, quòd prædestinatio nostra in executione pendeat à cooperatione liberi arbitrii, & quòd Deus omnia in numero, pondere, & mensura disposuerit. Vide supradicta. Sed neque dat majorem ansam desperandi. Siquidem in nostra potestate non est, quòd Deus mihi voluerit dare primum auxilium, cum quo prævidit me cooperaturum: ergo quodcumque egero, vel non egero, si tale auxilium non sit mihi decretum, idque antè prævisa merita, cum, secundum Catholicos omnes, non cadat sub merito, certò non salvabor. Consequentia itaque illa mala est in utraque sententia; quia nemo positivè reprobatus est, nisi propter demerita; ut proinde si bene ageret, sicut potest bene agere, quippe habet gratiam sufficientem, absque dubio salvaretur. Quòd si ergo damnetur, est, quia libero arbitrio abutitur ad peccatum.

Loquatur D. Aug. de Dono Persever. c. 15. Fuit quidam in nostro Monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quidam non faciendū faceret, & faciendū non faceret, respondebat: qualiscumque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præcivit; qui profectò & verum dicebat, & hoc verò non proficiebat in bonum; sed usque adeò profecit in malum, ut, desertà Monasterii societate, fieret canis reversus ad suum vomitum, & tamen adhuc qualis futurus sit, incertū est. Nunquid ergo propter hujusmodi causas, ea, quæ de præsentia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda, tunc scilicet, quando, si non dicantur, in alios itur errores? Et in eodem cap. præmiserat eandem esse rationem de prædestinatione. Ista (inquit) cum dicuntur (ut puta, si qui estis nondū vocati, quos gratiā suā prædestinaverit eligendos, accipietis eandem gratiam, quā velitis & sitis electi. Et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciēdi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis) ita nos à consistendā Dei vera gratia, id est, quæ non secundum merita nostra datur, & à consistendā secundum eam prædestinatione Sanctorum detertere non debent; sicut non deterremur à consistendā præsentia, si quis de illa populo sic loquatur, ut dicat: sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præcivit, vel boni, si bonos, vel mali, si malos. Hæc latius deducta videri possunt apud Smil. sup. n. 589. & sequenti.

Nunquid hic finis objectionum? Nequaquā. Sequitur (inquiunt) ex nostra sententia, propositiones conditionatas de danda vita æterna, & comminationes de æterna damnatione, si ad electos referantur, esse absolutas, ut sensus hujus: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, sit: quem Deus prædestinavit perseverare usque in finem, hic salvus erit. Similiter sensus sequentis propositionis: Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis, sit: quem Deus non decreverit poenitentiam agere, is peribit. Respondet Smiling sup. num. 591. se non videre, quā vel specie probabilitatis id ex nostra sententia consequens sit. Nam (inquit) illæ promissiones & comminationes, etiam

318.

Nostra sententia non officit correctioni & zelo animarum.

Neque dat majorem ansam desperandi.

319.

Probatum est D. Aug.

320.

Obicitur contra nostram sententiam.

Solvitur obsectio ex Smiling.

cicè

circa electos conditionatam veritatem significant. An non enim verum est, quod, si electi, in peccatum lapsi poenitentiam non egerint, sint perituri, etiam si poenitentia sit illis præfinita, adeoque etiam verum sit absolute, quod non sint perituri. Quemadmodum, nonne vera est hæc conditionata: *Si sol cras non oriatur, dies non erit*, etiam si Deus præfinierit, quod sol cras oriatur; adeoque etiam verum sit absolute, quod cras dies futurus sit. Sic ille.

321.
Ratio solutionis.

Et ratio est; quia illæ propositiones conditionales solum significant leges Dei in ordine gratiæ vel naturæ, abstrahentes ab impletione vel non impletionem: hæc autem propositio: *Quem Deus decreverit perseverare in finem, salvus erit*, non est lex, sed potius significat adimplerem ipsius legis, seu quid sit requisitum ad positionem illius conditionis: Si quis perseveraverit. Ex quo patet has propositiones esse valde distinctas. Veluti etiam hæc: *Qui perseveraverit &c. &c. Cui Deus decreverit dare gratiam perseverandi, salvus erit*. Accedit: quod electi debeant mandare executioni decretum illud Dei; ac per hoc promissiones illæ & comminationes conditionatæ non sunt quoad electos supervacaneæ, etiam si illorum conversio, progressus, & perseverantia sit præfinita, ac proinde absolute futura; cum (inquit Theod. sup. in fine) per aliud decretum statuerit Deus, ista non mandare executioni, sine libera eorum cum Dei gratia cooperatione. Debent ergo etiam electi promissionibus & comminationibus impelli, ut sint cooperatores gratiæ Dei. Cooperatores, inquam, liberi, qui possint cooperari, & non cooperari.

322.
Obiectio.

At enim, dicit aliquis, quomodo liberi, cum omnes actus boni, per quos salvantur electi, sint in nostra sententia à Deo prædefiniti, id est, à Deo voliti absolute & efficaciter, ante prævisionem absolutam talium actuum, & mediæ ad illos? Hæc est difficultas, quæ solet moveri contra certitudinem prædestinationis, de qua satis diffusè egimus præsentis disput. Sect. 3. Conclus. 2. & 3. Vide ibi dicta, & confestim scies hanc prævisionem sive prædefinitionem optimè stare cum libertate nostrorum actuum. Breviter: necessitas, quæ oritur ex hac prævisione, non est antecedens, sed concomitans; ac proinde, eam non obstante, adhuc rectè dicitur: Deum reliquisse hominem in manu consilii sui. Quemadmodum (inquit Smiling. sup. num. 601.) in rebus humanis rectè diceretur Dominus reliquisse famulum in manu consilii sui, quem ad opus à Domino præfinitum non egeret, etiam si ad ejus executionem & mediæ & tam cooperationem exhiberet.

323.
Quæ necessitas oritur ex præfinitione.

Unde rectè dicere quis poterit, se tale bonum opus fecisse, & quia Deus illud præfinivit, & quia homini sic facere placuit: non autem rectè dixerit quispiam, se necessario tepidè agere negotium suæ salutis, quia Deus id præfinivit, sive loquatur de tempore, ut dicit defectum diligentæ debiti, qui habet rationem culpæ, & culpam Deus non præfinivit; sive loquatur de tempore, ut dicit defectum diligen-

tiæ supererogatoriæ; quia Deus dat homini gratiam sufficientem ad proficiendum in perfectione. Quamquam in sensu composito verum sit, necesse esse, quod homo non attingat maiorem perfectionem, si Deus eam non præfinivit, quæ non est necessitas antecedens, sed concomitans; adeoque contingentiam oppositi non tollens magis, quam præscientia eam tollat. Hæc ille. A quo si petas: eequid est præfinitio? Respondet n. 593. circa finem: Est decretum divinæ voluntatis absolute & efficaciter, quovis potestatem effectum esse futurum, antequam absolute & efficaciter velit esse, aut velit permittere esse ea, & consequenter antequam ea præficiat, per quæ tanquam per mediæ vel occasiones effectus mandandus est executioni.

Ex qua descriptione patet Primo; quod non præfiniantur nisi fines, non autem ipsa mediæ, præterquam dum respectu alterius mediæ habent rationem finis; v.g. bona electorum opera non sunt præfinita, ut sunt mediæ ad vitam æternam; sunt tamen præfinita, ut sunt fines gratiæ, per quam fiunt. Ex quo (inquit Theod. sup. n. 597.) & similibus exemplis colligetur, quando varia mediæ quodam ordine ad eundem finem referuntur, idem decretum voluntatis divinæ posse esse prævisionem, & simplicem definitionem respectu diversorum; ut in exemplo dato, voluntas dandi bona opera electis est simplex definitio respectu voluntatis dandi vitæ æternæ; est autem præfinitio respectu voluntatis dandi gratiam bene operandi, donec ad voluntatem mediæ, quod est primum in executione, deveniatur, quod non est præfinitum. Sic ille.

Pater 2. omnes fines fore prædefinitos, cum nulla sit ratio aliquem excipiendi. Hinc tamen male inferes: ergo numerus reprobatorum est simpliciter præfinitus. Ratio male consequentiæ: quia ille numerus non habet simpliciter rationem finis; sed potius rationem cuiusdam deficientis à fine hominis, ac solum est mediæ, vel potius occasio, quæ Deus utitur ad ostensionem suæ iustitiæ, vel etiam ad bonum electorum. Secundum quid tamen (inquit Smiling. sup. n. 599.) dici potest ille numerus præfinitus, nempe respectu aliorum mediæ, per quæ damnatur executioni, eorum scilicet, per quæ damnatis poenam infligit Deus, ut sunt carcer, & ignis inferni, denegatio gratiæ, & luminis gloriæ &c. quia antequam hæc Deus ordinaret præferre, voluit efficaciter & absolute tot & tales damnari, & posita hæc voluntate & præfinita annexa, voluit talia damnationis eorum mediæ: quia tamen nec est præfinitus reprobatorum numerus ante prævisionem peccatorum finale, nec ante voluntatem permittendi illud, aut potestatem vel permittendi causas occasionesque peccatorum; & quia per illam permissionem peccati, & per peccatum ipsum, ejusque causas & occasiones reprobi ad suæ reprobationis effectum perveniunt; hinc est, quod reprobationis effectus, seu numerus reprobatorum non sit simpliciter præfinitus seu non præfinitus respectu omnium, per quæ mandatur executioni. Ita Theod. Neque

Neque (secundum eundem Auctorem) excipiendus est ab hac regula generali finis, qui essentialiter respicit eam & determinatam media, vel occasionem; dummodò ille sit volutus sub ratione finis, & hæc sub ratione mediorum, id est, finis sit volutus, ut gratia ejus media sunt eligenda, & media sint voluta propter finem, ita ut finis sit ratio volendi media, non contrà. Accipe exemplum: prius secundum rationem Deus vult homini beatitudinem sub ratione præmii, ut propter quod vult ei merita, quam velit ei merita propter illud; licet jam, posita hæc voluntate meritorum & præscientia eorum, velit ei beatitudinem, tanquam effectum meritorum in genere causæ efficientis, & hoc sensu aliquando dicamus, Deum velle homini præmium propter meritum, licet prima voluntas præmii, etiam sub ratione præmii, non sit propter merita. Itaque in executione Deus dat gloriam ut præmium propter merita, & in illo ordine gloria ut præmium non est præfinita, sed in ordine intentionis.

Aliud est de voluntate supplicii, si comparetur cum voluntate permissiva peccati, & ejus præfinita. Item de voluntate dandi penitentiam, vel gratiam ut remissionem peccati, prout vult Smil. sup. n. 596. & 599. juxta ea, quæ alibi docuit, scilicet n. 259. ubi ait permissionem peccati esse effectum prædestinationis, tamen non sit decreta voluntate præfinita, sed tantum voluntate exequente, utpote quæ habeat rationem medii tantum, & non finis, ne alioquin Deus debeat censeri velle peccatū: de qua controversia vide quæ dixi Sect. 4. præsent. Disput. Conclus. 4. non est opus hic ea repetere.

Nec obstat jam dictis; quod Deus nequeat definire, ut ignis calefaciat, nisi simul definiat vel supponat, ignem habiturum potentiam calefaciendam, & sic de aliis rebus naturalibus. Nam disparitas est (ut rectè notat Smil. sup. n. 599.) quod calor non solum competat igni, ut mediu ad calefaciendum; verum etiam, & primò quidem tanquam proprietas connaturalis, requisita ad esse ignis: Deus autem non prius decrevit, quod ignis calefaceret, quam decreverit, quod ignis esset; adeoque haberet omnes suas connaturales proprietates, cum illa operatio sit finis connaturalis ignis, & Deus non prius voluerit alicui rei finem suum connaturalem vel supernaturalem, quam eam voluerit esse cum omnibus suis proprietatibus connaturalibus; sed simul vult rem cum suis proprietatibus esse, & ob talem finem esse. Hæc ille. Sed nunquid actus bonus proprietas naturalis, requisita ad esse voluntatis, ita ut Deus non prius decreverit voluntatem esse, quam bene operari? Manifestum est, quod non. Cur ergo debeat Deus simul decrevere, quod voluntas sit & bene operetur? Tu cogita.

Ego dico, Græcos Patres non contrariari huic præfinitioni bonorum actuum, v.g. D. Damasc. l. 2. de Fide cap. 30. ubi ait: *Præfinit (Deus) etiam, quæ in nostra potestate atque arbitrio sita sunt, et non item ea præfinit.* Id, inquam, dictum

Tomas II.

non officit nostræ doctrinæ: nam mox subdit: *Neque enim vitium admitti vult, nec rursum virtutem vim asserit.* Loquitur ergo de præfinitione affectante necessitatem simpliciter, qualis non est nostra præfinitio, ut patet ex dictis. Consummationem intellige, quod habet eod. lib. cap. 29. *Quæ (inquit) in potestate nostra sita sunt, non providentia (scilicet simpliciter necessitanti) sed libero nostro arbitrio assignari debent.* Verumtamen (ut rectè S. Prosper. ad cap. Gall. cap. 14.) *Fides & charitatis opera, atque in eis usque in finem perseverantia, quia homini per Dei gratiam conferuntur, rectè prædestinata dicuntur.* Tam ergo in errore est, qui infidelitatem impiorum ad Dei constitutionem refert, quam qui fidei iustitiæque Sanctorum non Deum proficitur auctorem. Ergo & providentiæ divinæ assignari debent non necessitanti; sed optimè consonanti libero nostro arbitrio. Hinc Damasc. sup. d. cap. 30. *Ceterum (inquit) nobis liberum est vel in virtute perstare, Deumque nos ad eam vocantem sequi, vel à virtute abscedere, hoc est, in vitio habere, ac diabolum, qui citra vim (id est necessitatem) nullam ad id nos vocat, ducem sequi.* Cur ita? *Ut (auditis Augustinum lib. 2. cont. Faustum c. 5.) liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel malè vivitur propter justum judicium Dei ab omni necessitate vinculo vindicemus.* Infalibiliter licet quidpiam eveniat eo modo, quo per providentiam, atque adeo per prædestinationem dispositum est.

Sed nunquid per prædestinationem dispositum est, ut gloria detur ex prævisis meritis? Pro parte affirmativa adducuntur ab Adversariis nostris multa testimonia Patrum, præsertim Græcorum, quæ sedulus Lector reperiet apud Smil. sup. n. 481. & sequentibus. Rationem ad ea habet idem Auctor num. 602. & sequentibus. Ubi bene notat, quædam ex illis non esse alicujus auctoritatis, ut quæ ex scriptis Origenis, Hieron. in Epist. Pauli, Ambrosii, Theodoret, Theophylacti, Oecumenii, Sedulii in eisdem Epist. Arnobii in Psal. Aug. lib. de Prædest. & grat. & lib. de Prædest. Dei, Rupertii in Matth. Clement. Rom. ex lib. Recognitionum, & Chrysostomi Homil. de Esau & Jacob desumuntur. Nam Origines variè erravit circa materiam prædestinationis; alia autem opuscula aut non sunt eorum Auctorum, aut certe infecta sunt hæres, Pelagianâ. Vide Smil. sup. n. 602.

Præterea monet idem Auctor, tam Græcos Patres, quam Latinos, qui ante exortam Pelagii hæresim scripserunt de gratuita prædestinatione, & gratiæ necessitate, pauca & obscurius esse locutos, eò quod toti essent intenti, liberum arbitrium defenderent contra Manichæos; ejus arbitrii libertatē ita subinde extollunt, ut gratiā illi postponere, & meritis liberi arbitrii tribuere videantur, qui eorū loquendi modus, cum aliās constet eos de gratuita prædestinatione, & gratiæ necessitate rectè sensisse, benignè est interpretandus, ut alibi diximus ex D. Aug. His prænotatis, ad ea testimonia, quæ ritè ex SS. Patribus Augustino & aliis citantur.

B b

Respon-

Anum.
D. Damasc.

S. Prosper.

S. Aug.

230.

An gloria
detur ex
previsis
meritis.
Smiling.Aliqua
testimonia
Patrum pro
parte non
alicujus aucto-
ritatis.

231.

Patres ante
exortā hæ-
resim Pela-
gianā pauca
scripserunt
de necessitate
gratiæ.

232.
*Aliqua au-
thoritates
P.P. loquun-
tur de ele-
ctione tem-
porali ad fi-
dem etc.*

*Alia de ele-
ctione aet-
erna in exe-
cutione.
S. Aug.*

Respondeo cum eodem Auctore n. 604. aliqua intelligenda esse de electione temporali ad fidem, aut justificationem; & ita dicunt, Deum eligere homines, quos & quando novit vocanti obtemperaturos: quo proinde loquendi modo non significatur prioritas præscientiæ respectu electionis æternæ, quasi sit illius ratio seu causa, sed prioritas præscientiæ respectu temporalis executionis quoad donum fidei & justificationis. Alia loquuntur de electione quidem æternæ, sed in ordine executionis; vel si in ordine intentionis, non assignant causam, sed effectum electionis: ut sentius huius dicti S. Aug. de Prædest. SS. cap. 17. in principio: *Intelligamus ergo vocationem, quæ sunt electi*, sit, quod gratia seu nostra cooperatio cum gratia sit causa effectus electionis. Unde sequitur: *Non qui eliguntur, quia crediderunt; sed qui eliguntur, ut credant*. Ergo electio est causa fidei, & non effectus. Nam (ut ibidem ait) si propterea electi erant, quoniam crediderant; ipsi eum prius utique elegerant credendo in eum, ut eligi mererentur. Et intra: *Elegit ergo Deus fideles, sed ut sint, non quia iam erant*. Apostolus tac. dicit (cap. 2. v. 5.) *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod reprobis dedit Deus diligentibus se?* Eligendo ergo facit divites in fide, sicut hæredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit. Quasi diceret, per gratiam fieri electos vel eligendos, idem est, ac fieri hoc, ad quod à Deo electi sunt, & quod per electionem Deus in ipsis facit.

233.
*Quæ ratio-
ne sit in
nostra po-
testate eligi
à Deo.*

Et secundum hoc intelliguntur SS. Patres, quando dicunt, in nostra potestate esse eligi, aut Deum per gratiam facere eligendos; vel denique electos cooperari ad hoc, ut electi sint. *En-stra dicitur* (inquit S. Prosp. lib. 2. de Vocat. Gent. c. 35.) *quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur, ut electi sint*. Id est, ut sup. dixi, nostra cooperatio cum gratia est causa effectus electionis. Non ergo in nostra potestate est eligi, sed quod merita sint causa electionis in executione; sive in nostra potestate est, quod electionis effectum, scilicet æternam beatitudinem consequamur per bona opera.

234.
*Quæ præ-
scientia pos-
sit esse sine
prædestina-
tione.
S. Aug.*

Hinc quando D. Aug. de Prædest. SS. c. 10. ait, præscientiam posse esse sine prædestinatione, non è converso, loquitur de præscientia consequente, ut alibi adhuc dixi, & satis colligitur ex eo, quod sequitur: *Prædestinatione quippe Deus ea præcivit, quæ fuerat ipse factururus*. . . Præscire autem potens est, etiam quæ ipse non facit, sicut quacunque peccata. Præscire, inquam, non illa præscientiâ, quæ fundatur in prædestinatione, quia Deus non prædestinat peccata, sed aliâ, de qua dicit idem S. Doct. lib. 9. de Trinit. cap. 10. *Neque vitiorum nobis notitia displicet, sed ipsa vitia*. Nam (ut ibidem ait) *Desinite intemperantiam, verbumque ejus dicere pertinet ad artem morum; esse autem intemperantem ad id pertinet, quod illa arte culpatur*. Atque ita (teste eodem) *Arts Dei nescit vitia, & judicat vitia; nescit faciendo, judicat arguendo*.

235.

Atque ut esset sermo de præscientia simplicis

intelligentiæ, nihil facit contra nos. Nam si quis diceret, ignem non posse esse sine calore, posse tamè calorem esse sine igne, v. g. in aere, non significaret, calorem ignis esse causam ignis; sed effectum & proprietatem inseparabilem; nec significaret, calorem ignis esse posse sine igne, sed alium calorem sine igne esse posse. Ergo consimiliter hic arguendum de præscientia & prædestinatione: tamen August. diceret, prædestinationem non posse esse sine præscientia, sed è converso præscientiam sine prædestinatione, per hoc non significaret, præscientiam esse causam prædestinationis; sed ad summum effectum ejus effectum aut aliquid inseparabiliter connexum: nec significaret, præscientiam eorum, quæ Deus facturum fuerat, posse esse sine prædestinatione; sed aliam præscientiam, scilicet quæ sit ea, quæ ipse facturum non fuerat. Quæritur autem hic, utrum præscientia meritorum, seu merita in præscientia Dei sint causa prædestinationis, vel potius, vice versa, prædestinatio in causa meritorum.

Alia loca D. Augustini, quæ obijci solent, explicari sufficienter possunt de electione in ordine executionis; putà illud, quod habet Serm. 7. de Verb. Domini: *In hoc capitulo discimus, quoniam quos voluit Dominus, hos elegit*. Eligere autem (ut dicit apostolus) & secundum suam gratiam, & secundum illorum iustitiam. Quam electionem iustitiæ inferius explicat dicens: *Ego illis elegi, quia vidi mentes eorum, de me præsumptas, non de se*. Ergo non loquitur de ordine intentionis, sed de solo ordine executionis, idque temporalis, ut Aliqui existimant. Vide quæ sup. dixi de hoc testimonio, & cognosces nihil facere contra nos.

Ceterum quando Anselmus & Aug. concordantiam nostræ libertatis cum prædestinatione comparant concordiam præscientiæ cum eadem libertate, non volunt per omnia similitudinem esse inter prædestinationem & præscientiam, comparatas cum nostro libero arbitrio; sed in hoc solo constituunt similitudinem, quod nec prædestinatio, nec præscientia ordine nature & causalitatis præcedant determinationem liberæ voluntatis; differentiatamen est, quod prædestinatio sit causa concomitans, scilicet præscientia, quæ est quid consequens, vel etiam concomitans, aut non per modum causæ. Hinc quod dicit Ansel. lib. de Concord. & c. 2. *Prædestinatio, quæ non mutatur, non prædestinat, nisi sicut est in præscientia, intellige, concomitante, non antecedente*.

Hæc, puto, sufficient, ut quis probabiliter nobis eum dicere possit: *Prædestinatio hominis soluta & efficax ad determinatum gradum gloriæ non præsupponit in præscientia divina ipsius merita & perseverantiam in gratia*. Quam doctrinam videtur tradere Concil. Valentinum sub Lothario Imperatore c. 3. hisce verbis: *Factum prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritis bonum, in damnatione autem peritorum meritis malum præcedere iustum Dei iudicium*. Respon-

dent Adversarii: Concilium loqui de prima vocatione. Sed contra est; quod etiam illa competit reprobis; ergo ad minus includitur perseverantia, quæ, cum in executione supponat merita, intelligi debet de intentione.

Interim oppositam sententiam, quæ afferit, Deum non prædestinasse ad gloriam efficaciter illos, qui eam consequuntur propter merita, ante merita prævisa, sed propter illa, tenet noster Poncius, dicens eam esse communioem inter Recentiores, & à Scoto probabiliter teneri 1. dist. 41. ubi post diversas relatas opiniones de hac controversia sic tandem concludit n. 13. in fine: De istis opinionibus omnibus, quia apostolus videtur disputans de ista materia ad Rom. in fine cap. 11. quasi totum imperferabile relinquere: O altitudo (inquit) divitiarum sapientie & scientiæ Dei. Et: Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Id. d. ne scrutando de profundo, secundum dictum Magistrum, eam in profundum eligatur, quæ magis placet, dum tamen salvetur libertas divina sine aliqua injustitia, & alia, quæ salvanda sunt circa Deum, ut liberius eligent, & qui aliam opinionem tenerit, reputat ad ea, quæ tacta sunt contra eam.

Respondet porò Poncius sup. n. 21. & 22. Scripturas & SS. Patres intelligi debere de electione prædestinatorum ad gratiam omnem, quam non merentur, & ad gloriam etiam, non in se, quasi Deus expresse vellet dare ipsis gloriam, antequam prævideret eorum merita; sed in causa efficaciter perducenda ad gloriam. Hæc autem electio coincidit cum electione ad gratiam talem cum finali perseverantia: quia enim, quicumque habuerit talem gratiam, habebit infallibiliter tanta media, & qui habuerit tot merita, & perseveraverit usque in finem, habebit vitam æternam; hinc qui eligitur ad illam gratiam, & perseverantiam, eligitur ad gloriam; ac proinde, quibus Deus voluit istam gratiam & perseverantiam, possunt dici vocati secundum propositum; alii verò non. Respondet secundò: in Deo posse poni electionem ad gloriam, distinctam ab electione ad gratiam, sed conditionatam tantum, v. g. Volo dare Petro vitam æternam, si habueris tanta merita; quæ voluntas solum respicit prædestinatos; quia multi reprobi aliquando habent majora merita, quam prædestinati. Porò ex hac voluntate conditionata oritur, quòd, quando Deus videt electos habere tot merita, ita disponat res, ut ad finem perseverent; atque adeò donum perseverantiæ, ac propositum Dei in hanc voluntatem refundi potest. Hæc summam ex Poncio sup.

Quomodo autem sint redarguenda, satis patet ex hæcenus dictis pro Conclusionem, in quam, ut supra indicavi, magis inclinat Scotus, & ideo etiam nobis magis placet. Interea liberum sit unicuique, etiam Scotistæ, eam relinquere, & adhærere sententiæ Poncii, quæ & ipsa neque fidei, neque bonis moribus reprobatur. Et usque adhuc de prædestinatione ex meritis propriis: sed nunquid eadem ratio de meritis alienis, ita ut, sicut prædestinationis

Tomus II.

totalis, id est, quoad omnes ejus effectus nemo seu Christus, aut purus homo sibi ipsi fuit causa meritoria; sic etiam prædestinationis alterius quoad omnes ejus effectus nemo, vel Christus, vel purus homo, fuerit aut esse poterit causa meritoria? Dico Primò, eritque in ordine

CONCLUSIO V.

Christus est causa meritoria prædestinationis omnium aliorum hominum, saltem in executione, quoad omnes effectus, qui ipsis dantur.

Quare addam hanc particulam: Quoad omnes effectus &c. patebit ex dicendis: Sed cui ponitur, interrogat quispiam ly. Saltem in executione? Quia, respondeo, satis dubium est, an etiam in intentione, volo autem in Conclus. exprimere, quod certum est. Igitur Christum esse causam meritoriam prædestinationis omnium hominum in executione, saltem quoad aliquos ejus effectus, est sententia satis communis, quam tenet noster Smiling, & diffusè propugnat sup. n. 618. & sequentibus, existimans eam tam certam esse, quam (inquit) est certum, quòd omne bonum salutare prædictum (ut putà gratia & gloria) in tempore detur electis intuitu meritorum Christi; nam huic annexum est, etiam ab æterno, saltem secundum ordinem executionis, voluisse & prædestinasse Deum, illud bonum dare propter merita Christi. Illud autem primum videtur de fide, ut probatur in materia de Incarnatione tractando de merito Christi. Ita Theod. licetque Felix noster de Prædest. cap. 4. diff. 4. n. 1. sic ait: Certum est, secundum omnes Theologos, Christum Dominum esse causam prædestinationis hominum, ut patet ex illo ad Ephel. 1. v. 4. Elegit nos in ipso. Et infra v. 5. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum.

Notat autem tripliciter Christum posse esse causam, vel exemplarem, ita ut Christi prædestinatio sit exemplar prædestinationis nostræ; vel finalem, ita ut prædestinatio nostra sit propter gloriam Christi, vel meritoriam, ita ut merita Christi fuerint prævisa & acceptata ut motivum, propter quod nos prædestinavit. Atque in primis indubitatum est, Christum Dominum fuisse causam exemplarem ex illo ad Rom. 8. v. 29. Quos præcivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. Nam ad exemplum prædestinationis Christi omnes prædestinati sunt; quia sicut Christus prædestinatus est ad gratiam & gloriam, ita & nos; & sicut Christi prædestinatio fuit absque meritis propriis, sic & nostra.

Unde benè dixit Aug. de Dono persever. e. 24. Nullum est illustrius prædestinationis exemplum, quam ipse Iesus. . . . Quisquis fidelis vult eam benè intelligere attendat ipsum, atque in illo inveniat

B b 2

342.

Conclusio
hæc est communis: am-
tenet Smif.

Itemque
Felix.

343.

Christus
tripliciter
est causa
nostra præ-
destinatio-
nis.

Primò est
causa ex-
emplaris, ex
Apost. ad
Rom. 8.

344.

Probat ex
S. Aug.